



Gy. 47. 0.





E. A. BORGERI  
DISPUTATIO,  
DE  
HISTORIA PRAGMATICA.  
EDITIO ALTERA.  
ACCEDIT  
ORATIO,  
DE  
HISTORIÆ DOCTORE, PROVIDENTIÆ DIVINÆ  
ADMINISTRO.

HAGÆ COMITUM,  
APUD  
VIDUAM J. ALLART, ET SOC.  
1818.

KENNEDY  
UNIVERS.  
ZVHALIE

Universitäts- und Landesbibliothek  
• Zweigstelle Aufklärung •

## PRAEFATIO.

---

*Tertius hic annus est, quod hæc nostra Disputatio ab Eruditorum Societate Batava digna iudicata est, quæ et præmio ornaretur, et ad hominum notitiam expromeretur. Itaque, ut illius Societatis mos est, sic edita est scriptio, ut unà cum aliis dissimillimi argumenti commentationibus in unum volumen congregaretur. Quæ res Disputationi meæ interitum attulit. Hæc enim quum eo comitatu prodisset, cuius splendore ipsa obrueretur, et tamen locum, quem semel occupaverat, ita tueretur, ut nec disjungi ab illa societate nec avelli posset, cum reliquis sociis ut voluminis, sic fortunæ communitate fuit conjuncta, illudque necesse fuit fieri, ut, cum ceterarum scriptionum lectio vehementius expeteretur, eodem legentium æstu et aviditate meus quoque libellus absorberetur. Itaque venditis exemplaribus omnibus, reliquarum Auctores commentationum quid facturi sint, ipsi viderint; ego lucubrationem meam ab inglorio interitu vindicandam esse duxi, nec committendum,*

*ut, quum scriptoribus in laude poni soleat, si ipsorum libri, propter singularem præstantiam, in tabernis librariis frustra quærantur, ejus laudis aliquam partem mihi arrogare viderer.*

*Sed fuit etiam alia repetendæ editionis causa. Quum enim, editâ primùm scriptione, haud ita multo post illud mihi munus esset delatum, ut cum alias bonarum literarum partes, tum Historiam juventuti nostræ traderem; atque ita comperissem, multos esse auditores, qui, si quid a me, quod ad præsentem disciplinam pertineret, foras emanasset, id cognoscere cuperent, doctoris officio me defuturum judicavi, si discentium studio deessem. Atque eo minùs etiam recusavi, quominus auditorum voluntati parem, quod opusculum non tam doctorum virorum animadversione dignum, quam adolescentium studio non indignum videbatur. Qualiscunque enim iste fetus est, ipse eum sine obstetricis, id est bibliothecæ, opera peperi. Nudus igitur est ac debilis et inermis partus, feriis æstivis Iselostenii editus, quo loco a librorum meorum usu et copiis longissime eram semotus. Quod ni ita fuisset,*



*illud quidem affirmare possum, majori instructu ornatuque libellum fuisse exiturum. Neque enim eram nescius, in Beckii scriptis, in Creuzeri, in Ancilloni, in aliorum doctissimorum virorum, quanta inesset quamque varia cum ad ornandam scriptionem meam, tum ad amplificandam, materia. Sed non erat illarum copiarum facultas. Quibus quod neque in hac altera editione usus sum, obtemperandum esse duxi consuetudini dialogorum. In initio enim, cum librorum inops essem, et tamen, ne nihil agerem, scribere aliquid vellem, illud potissimum scribendi genus adhibueram, quod, ut a veteribus valde frequentatum, ita maxime popolare esse atque doctrinae apparatus aspernari videretur. Quam formae simplicitatem nunc etiam retinere malui, quam totam scriptionem sic quasi loco movere, ut non denuo edita videretur, sed recens parta. Si quid autem in scribendo annotationis sua sponte natum est, quod omitti non posse videretur, illud ad libri calcem rejeci.*

*Adjunxi Orationem, habitam a me tum, cum hoc docendarum literarum munus suscipirem. In qua oratione quod historiae doctorem*

*Providentiæ divinæ Administrum appellavi, nec Testis potius aut Nuntii aut Præconis vocabulum posui, feci exemplo et auctoritate Diodori Siculi, qui Tom. I. p. 3. historicos vocat ὑπουργοὺς τῆς θελας προνοίας. Sed hoc levius. Illud vero dignius est, quod a Lectore intelligatur, cum orationis argumentum in duas primum partes descripsissemus, quarum altera esset de Officiis Historici, ut Providentiæ divinæ Administrum, hanc partem propter temporis, ad dicendum dati, brevitatem a nobis esse prætermisam. Quod eo magis dolebamus, quo dignior res videbatur accurata tractatione. Sæpenumero enim cogitanti mihi, qua ratione historiæ doctor officii sui partes optime impleat ac fidelissime exsequatur, nihil tam utile ad eam rem tamque salutare videtur, quam si, in tradenda historia, personæ, quam sustinet, dignitatem perpetuo recordetur. Non quo ea recordatio aut novum prorsus et inusitatum officiorum genus afferat, aut ita necessaria sit, ut, nisi accesserit ea, non multum peccet historicus, si in aliqua muneris parte temere atque sciens labatur; sed quod, quanto divina humanis, æterna caducis præstant, tanto magis Provi-*

*dentice divince administrum religionis sanctitate, quam hominum verecundiâ, par est commoveri. Et initio quidem constitueramus orationem cum partis omissæ accessione edere. Quod consilium mox deposuimus. Nam primum ex quo tempore hanc orationem habuimus, in nova statione novæ fuerunt scholæ instruendæ, quæ omne nobis ad scribendum otium abstulerunt. Deinde, cum modus in rebus esset, atque certi fines, non committendum putavimus, ut terminos migraremus, quos orationibus consuetudo pepigisset. Itaque edidi, quod potui, non ut initio volui, sed ut me rei ratio et temporis angustiae coegerunt. Hoc nobis monendum videbatur, quoniam, ut nunc quidem edita est oratio, inscriptio in re notissima atque saepe tractata quandam admirabilitatis speciem habere videtur. Quamquam facilis est ac prompta defensio. Quum enim in hac orationis parte id egerimus, ut Historiæ testimonio et auctoritate efficeremus, esse divinam quandam rerum humanarum procurationem, intelligitur, historiæ doctorem, qui in ea statione collocatus sit, ut et procurari res humanas divinitus, et quemadmodum*

*procurentur, doceat, eam ipsam ob causam Providentiæ divinæ nuncium, testem, administrum, dici oportere. Tritum, fateor, ac translaticium argumentum: neque nos üsumus, a quibus, in hac ingenii mediocritate, novi quicquam aut exquisiti exspectari debeat. Sed tamen cum animadvertisse nobis videremur, ab iis, qui hoc argumentum tractassent, illud fere prætermissum esse, quid hoc sit, non res quasvis, non reliquam rerum naturam, sed peculiariter res humanas curare; operæ pretium nos facturos arbitrabamur, si ostenderemus, in rerum humanarum procuratione, quanto firmus, quam in reliquarum rerum, Providentiæ divinæ positum sit argumentum.*

DE  
HISTORIA PRAGMATICA.

---

CAPUT PRIMUM.

---

CUM sæpius interfui doctis sermonibus Luculli, Caji et Sexti, familiarium meorum, tum ante hos aliquot menses, cum inter eos de optima historiæ scribendæ ratione esset aliqua orta dissensio. Neque enim ad amicitiae nomen integritatemque tuendam requiri existimabant ut nulla unquam existeret sententiarum discrepantia, et usu cognoverant, ita maxime ali et acui ingenia solere, ut in contrarias partes subtilissime disputaretur. In omni autem sermone illud cavebant, ut iracundiâ et acerbitate vacaret reprehensio, nec quicquam incideret, quod aut ab amicitiae munere, aut a conveniendi consilio, alienum esse videretur. Erat autem eorum institutum ejusmodi, ut horas vespertinas partim in legendo, partim in disserendo atque in commentando pone-

rent: quo illud consequantur, ut et disputandi materies semper præsto esset, et ad scriptoris, quem tractarent, intelligentiam mirifice proficerent. Et Homeri quidem, Platonis paucorumque aliorum, ea erat fortuna, ut communi suffragio, summis laudibus extollerentur. De Historicis vero magna erat judiciorum varietas ac dissensio. Quæ enim aut Herodoti simplicitas, aut constricta Thueydidis oratio placebat Lucullo, eadem displicebat ceteris, quamquam in his quidem scriptoribus, propter magnarum laudem virtutum, levior erat ac moderatior reprehensio. Cum autem ad Polybium pervenissent, atque in ejus lectione jam aliquantum profecissent, tum repente Cajus, Asperam, hercule, inquit, et horridam orationem, quæ quidem me adeo conturbat, ut ceteras auctoris laudes atque virtutes vix animadvertam. Ut enim omnes consentiant atque nuper etiam a Wyttenbachio, summo viro, judicatum sit, nullam esse, quin apud Polybium exstet, Historiæ virtutem, tamen, nescio quomodo, in stilo me hæere sentio, cum illi ipsi, qui laudant, cum hac exceptione laudare soleant: *si ab orationis dote discesseris*. Nec mihi quidem, Sextus, Luculle, inquit, magnopere placet Polybii oratio, quamquam Cajus noster paulo iniquior, qui, cum Polybius fuerit ultimus Græcorum, ejus scriptionem Xenophonte aut etiam Platónico dicendi genere metiatur. Tu autem, quid sentias, audire cupio, quem et

mulum in Polybio versari novimus, et nihil agere libentius, quam ut juvenum studiis obsequare. Tum ille, utrumque illud vere, Sexte, dixisti, inquit: nam et Polybii commentariis magnopere delector, et, si quid mihi est aut doctrinæ aut judicii, id omne, quantumcunque est, ita adhibeo, ut vestris commodis et utilitatibus serviam. Vos vero videte, ne amantius de me, quam verius, existimetis. Ego enim, cum in forensibus laboribus omnem prope juvenilem ætatem consumsissen, serius tandem ad hæc studia accessi, atque vel hoc ipso tempore, cum imperitis hominibus otio diffluere videor, adeo non sunt res meæ tranquillæ, ut etiam propter maximas occupationes, quæ quotidie incidunt, persæpe intermittere doctrinæ studia cogar. Quamobrem pergamus, si placet, in hoc lectionis itinere, ac tamquam prudentes peregrinatores, consistamus subinde, si quid animadvertendum videatur. Tum Cajus, me quidem, Luculle, inquit, si constantem vis comitem itineris habere, noli, quæso, recusare, quominus Sexti nostri voluntati obtemperes. Adeo enim insolitus mihi Polybii stilus accidit, ut mirer, quî te tantopere ejus scriptio teneat atque delectet. Quapropter aut orationis patrocinium suscipe aut nobis tergiversantibus stimulos admove, ne in ipso viæ ingressu animis concidamus. Itaque, inquit ille, geram, ut potero, morem, quamquam longicrem hic nasci disputationem video, quam vos fortasse

suspiciemini. Illud autem in omni hoc sermone deprecor, ne tam inepto me amore in Polybium ferri putetis, ut, quod vituperem, nihil omnino habeam. Quamquam enim verbis complectitur, quod vult, et dicit plane, quod intelligamus, tamen orationis ornatum magis, quam Historicum decet, negligit. Quamobrem de stilo tantum abest, ut cum Cajo aut tecum, Sexte, altereari velim, ut ipse fuissem ultro confessus, nisi vestra me reprehensio antevertisset. Nec tamen, quod Cajo accidit, Polybiana oratio me tantopere offendit, ut totum Auctorem contemnendum ducam. Quinetiam ita me judicare scitote, in Polybii scriptis tantas tamque præclaras apparere ingenii animique dotes, ut rerum præstantiâ orationis vitia facile vincantur. Ego quidem, si quid de me dicere attinet, quoties mecum cogito, quid sit, quod tantopere Polybio delecter, toties hanc unam causam reperire mihi videor, quod, cum ille orationem suam multis sapientiæ virtutisque præceptis, tamquam luminibus, distinxerit, horum omnium vim et salubritatem aut in me ipse, aut in aliis hominibus sæpe intellexerim. Tunc Caju ridens, hoc vero, inquit, optimum, ut, quod alii in Historicis vituperare solent, id ipsum tibi tantopere placeat, ut propter hoc unum præcipue Polybium amplectare. Cum enim in omni re factâ quæri possit, primum, quid sit a quopiam gestum, deinde, quam bene, denique, quæ fuerit cujusque rei gerendæ causa; illud tantum su-



premiū multi ad historiam, cetera ad philosophiam pertinere existimant: quem quidem utriusque disciplinæ terminum, ab ipsa natura pactum, sive historicus sive philosophus migret, diversissimas res misceri, magnamque confusionem sequi. Horum igitur si audienda oratio sit, præter stili asperitatem hanc quoque sibi culpam Polybius contraxerit, quod in alienam possessionem invaserit, et philosophiæ spoliis historiam exornaverit. Hic Lucullus, hanc ipsam, Caje, orationem, inquit, tuam exspectabam, cum longiorem hic nasci disputationem dicerem, quam vos forte putaretis. Permultos enim esse scio, qui injuriosam esse historiam clamitent, si a rerum gestarum enarratione ad earundem bonitatem pravitateve censendam, aut ad causas indagandas se conferat. A quorum ego sententia tantum me abesse profiteor, ut historiæ non modo nihil emolumenti, verum etiam multum detrimenti afferre videantur. Succum enim et sanguinem ex historia tollunt, qui eam his cancellis circumscribunt, ut nuda rerum narratione contentam esse jubeant. Sed istos linquamus et revertamur ad Polybium, unde est orta oratio. Tunc Caju, tuo vero id arbitrato, inquit, quamquam mihi et huic, opinor, Sexto, gratus feceris, si,educta ex his Polybianis angustiis oratione, te ad universi generis vim explicandam contuleris, ut nos, natura et genere et universa recognita, cum de Polybio, tum de ceteris historicis

judicium facere possimus. Tum Lucullus, videte, inquit, quam belle istuc fiat, si mecum, qui vobis multo major natu sum, sic agatis, ut cum adolescentibus apud Ciceronem Antonius, qui eos a minutis angustisque concertationibus ad omnem vim varietatemque disserendi traducendos putat. Neque tamen parere vobis imperatoribus gravor, cum præsertim ampliorem mihi disserendi campum aperiatis, in quem excurrere, et quoquoversum se movere oratio possit. Est autem tanta hujus argumenti amplitudo et ubertas, ut nisi levissime rem tractare volumus, in unius sessionis angustias nequeat concludi. Quamobrem eam faciamus sermonis nostri partitionem, ut tribus quatuorve deinceps vespertinis convenibus ipsam rem accuratius explicemus, nunc autem, quod hujus horæ supersit, ita usurpemus, ut ad ipsam disputationem via et aditus muniatur.

Quod consilium cum placuisset ceteris, Lucullus, postquam paulisper conticuisset, sic est dicere exorsus.

Ego quidem, Caje atque Sexte, cum sæpius naturæ solertiam admirari soleo, tum in hoc maxime, quod, cum ipsa sibi constet, sui que sit semper similis, ad eandem similitudinis legem omnia finxit et adhuc machinatur. Cujus rei cum multa commemorari documenta possint, hoc unum proferre suffecerit, quod ut omnes naturæ partes sunt coagmentatæ inter sese et arctissimo quodam vinculo tenentur, sic nullæ sunt artes, nullæ disciplinæ, quarum non

communis quædam sit ac necessaria cognatio. Quod ni ita fabricata fuisset et exsecuta natura, nutasset jam dudum et concidisset hominum inter ipsos societas. Ecqua enim major et firmior conjunctio inter homines hominum esse potest, quam quæ societate quadam et communicatione utilitatum continetur? Quæ communicatio nullo pacto fieri posset, nisi artes, ut in vitibus sarmenta, erratico quodam et multiplici lapsu serperent inter se, et quasi clavicularum complexu se invicem sustentarent. Quod cum bene intellexissent sapientissimi veterum viri, noluerunt distributione partium ac separatione magnitudines artium diminuere. Neque enim, cum esset Hippocrates ille Cous, fuerunt tum alii medici, qui morbis, alii, qui vulneribus, alii, qui oculis mederentur. Neque geometriam Euclide aut Archimede, musicam Damone aut Aristoxeno, ipsas literas Aristophane aut Callimacho tractante, tam discerptæ fuerunt hæ artes, ut nemo genus universum complecteretur, atque ut alius aliam sibi partem, in qua elaboraret, seponeret. Quid veteres illos doctores auctoresque dicendi commemorem, Eleum Hippiam, Prodicum Chium, Leontinum Gorgiam, in quibus tantam fuisse doctrinæ varietatem accepimus, tantam vim atque copiam, ut nullum genus disputationis a se alienum putarent, semperque essent in omni orationis genere versati.

Quæ cum ita sint, quid tandem causæ esse dica-

mus, cur multi unam historiam solitariam esse velint atque a ceterarum disciplinarum communitate semotam? Et cum reliquæ artes adeo per se sint nudæ et inermes, ut, nisi historiæ præsiidiis munitæ et ornatae, in publicum prodire verecundentur, quomodo tandem iniqua sit historia, si, quas ipsa copiis suis adjuvet ac tueatur, ab iisdem, si opus sit, præsiidii aliquid et ornamentum mutuetur? Mihi vero, qui nuda rerum narratione historiæ munus contineri existimant, ne quidem consentanea sibi dicere videntur. Nam ut rerum cognitione contentos se esse dicant, nec quicquam admonitionis ab historico desiderare, tamen, ut Cajus noster, postulare solent ut scriptio elegans sit atque delectet. Atqui, si historiæ nulla esse debeat cum ceteris disciplinis societas, rhetorum quoque scholas contemnat, nec verborum concinnitatem sectetur. Quid enim est, quod disertum historicum velint, eundem aut philosophum nolint, aut certe in historia scribenda philosophantem vituperent? Quæ hominum sententia eo magis etiam reprehendenda est, quo certius inter omnes constat hanc esse historiæ philosophiæque conjunctionem, ut utraque partim ad *rerum cognitionem*, partim ad *morum moderationem* referatur.

Et rerum quidem cognitio, quis dubitet, quin manca sit et inchoata, si in ipsis tantum factis consistat, nulla causarum consequentiumve ratione habita? Ut enim minime urbem cognoscat, qui singula

ædificia enumerare possit, ipsam loci descriptionem ignoret, ita nulla est rerum cognitio, nisi accurate teneas, quæ causa quamque rem antecesserit, quid sit consecutum. Cum igitur hoc se agere historia profiteatur, ut rerum gestarum cognitionem hominibus impertiatur, non magis ab ejus munere abesse potest causarum explicatio, quam ab ædium extructione positio fundamenti. Similiter in magna opinionis perversitate versantur, qui virtutis sapientiæque studium ab historia sejunctum esse volunt. Ut enim Homerus, quid expetendum fugiendumve sit, melius docuit quam Speusippus, quam Crantor, quam quisquam philosophorum, ita et philosophi et Homerus et omnis poetarum turba historiæ voce auctoritateque vincuntur. Neque vero quicquam causæ video, cur historicorum commentarios nocturna diurna manu versemus, nisi antiquarum rerum cognitio ad sapientiæ virtutisque disciplinam exercitationemque referatur.

Habetis duplex historiæ pragmaticæ munus, quod qui aut universum, aut alterutram ejus partem tollunt, non illi vitæ magistram historiam, sed annalium jejunitatem relinquunt. Atque ne forte auctoritate carere videatur oratio mea, accipitote præclaram illam Polybii, in quo versamur, sententiam. *Si ex historia, inquit, tollis, quare, quo modo, quo consilio quidque fuerit actum, denique an probabilem exitum res suscepta habuerit; quod su-*

*perest, ludicrum spectaculum est, non disciplina: et in præsens quidem oblectationem, in posterum vero nullam utilitatem asferre potest. Neque Polybius tantum, qui suo ipse exemplo eam, quam recitavi, sententiam illustravit, sed etiam ille, non dicendi solum sed etiam cogitandi magister, Cicero hanc legem historico scribit, ut quæ literis mandet, ea ad cognitionis animique fructum referat. Rerum ratio, inquit, ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem: vult etiam, quoniam in rebus magnis memoriae dignis consilia primum, deinde acta, postea eventus exspectantur, et de consiliis significari quid scriptor probet, et in rebus gestis declarari non solum quid actum, aut dictum sit, sed etiam quomodo: et cum de eventu dicatur, ut causæ explicentur omnes vel casus, vel sapientiæ, vel temeritatis: hominumque ipsorum non solum res gestæ sed etiam, qui fama ac nomine excellent, de cuiusque vita atque natura. Et ne in antiquitate tantum niti videar, horum auctoritati virorum tamquam cumulus accedat Wytttenbachii sententia, præclavi inprimis viri, qui in omni literarum genere vitæ suæ tabernaculum collocavit. Hic igitur cum alia multa in Polybio laudat, tum factorum eventuumque sagacissimam explicationem, e causis principisque suis repetitam; sive hæ causæ continerentur in singulorum ingenii hominum, sive in cuiusque rei publicæ aut dynastiæ constitutione et formâ, sive*

*En harum mutua ratione et conjunctione universâ-  
que orbis terrarum quasi civitate, sive in militari  
disciplina, sive in coeli natura, sive in locorum  
situ regionumque proventu et opportunitate, sive  
in hominum, pro varietate locorum et civitatum,  
diversitate, frequentia, animorum indole, corpo-  
rum robore. In quibus omnibus describendis non  
solum diligentissimi enarratoris, sed gravissimi auc-  
toris laudem Polybius habeat.*

Hic Cajus, permagnam sane auctoritatem, inquit:  
in qua tamen vereor, ut illi acquiescant, qui non  
auctoritatibus pugnandum, sed rationibus disseren-  
dum existimant. Neque vero, quod pace tua dixe-  
rim, satis tu accurate quæstionem definiisse videris.  
Non enim est controversia, quin ita sit scribenda  
historia, ut legentium animi cum causarum cogni-  
tione, tum virtutis sapientiæque præceptis imbuan-  
tur. Sed illud ambigitur, *utrum historico liceat, ipse  
de his rebus quid sentiat, diserte declarare, an  
vero sit omne hoc judicandi negotium iis, qui le-  
gant, relinquendum?* Quamobrem huc tu oratio-  
nem, Luculle, tuam converte: sæpius enim mihi,  
cum de hac quæstione meditarer, tanta cum proba-  
bilitate in utramque partem disseri videbatur posse,  
ut, quemadmodum ait Poeta, jam animus huc jam  
divideretur illuc. Tum ille subridens, tu vero me vexas  
Caje, inquit. Et historico quidem quid facere liceat,  
nondum dicere audeo: mihi autem hanc auctori-

tem sumo, ut ipse quid sentiam, diserte declarem. Sic igitur sentio, finem esse faciendum disputandi, quo et animus spatium ad cogitandum sumat, et corpus ad somnum quietemque proficiscatur. Quod ut ille dixerat, discessum est.

---



## CAPUT SECUNDUM.

Postridie vesperi, cum convenissemus, atque Lucullum intueremur, nosque ad audiendam significarem paratos, tum ille, peropportune, inquit, ad me hodie perlatum est *Societatis Eruditorum Batavæ* Programma, in quo eadem illa, quam heri tractare coepimus, ad disceptationem quæstio proponitur. Quo magis mihi digna res videtur, de qua disseratur, cum etiam doctissimorum hominum curam cogitationemque adverterit. Itaque continuo, si placet, veniamus in rem præsentem, et hac quidem sessione ad eam quæstionis partem respondeamus: *utrum historici munus in una rerum enarratione consistat, an vero etiam ei liceat de rerum causis, quid ipse judicet, exponere.*

Equidem, Caje atque Sexte, numquam me adduci patiar, ut eorum rationem probem, qui historiam se scripturos professi, in philosophiam elabantur. Quorum hominum dici non potest quam sit ridiculum negotium. Cum enim in sua ipsi disciplina hospites sint, et aliis tamen sapere velint videri, inscientiæ turpitudinem subtilitatis specie obruere conantur. Quod autem Socrates dixisse fertur, cum illum obsoleta veste philosophum vidisset, perspi-

cere se per istos pannos superbiam, idem transferrî in minutos istos historicos potest, qui ut doctrinæ inopiam sapientiæ fucō illinant, numquam tamen peritorum prudentumque hominum aciem sagacitatemque fallent. Arx et caput historiæ est rerum gestarum expositio, quâ sublatâ, non solum historia tollitur, sed ne ipsum quidem nomen relinquî arbitror.

Sed ut in tabulis pictis artifice non solum concedi sed etiam postulari quodammodo ab eo solet, ut ejus, quem depingat, effigiem sive vestitûs ornatu, sive alia etiam supellectile instruat, ita, quod heri diximus, tenuem mihi et exilem historiam inducere videntur, qui ejus munus unâ rerum narratione sic circumscribunt, ut, quicquid præterea accesserit, id alienum putent. Et de ceteris quidem accessionibus alias: nunc de *rerum causis earumque explicatione*: quarum ut cognitio cum ad animi fructum uberri- ma, tum ad delectationem suavissima est, sic earum expositione, nemo negaverit, pragmaticæ historiæ magnam quandam et illustrem partem contineri. Quemadmodum autem duplex causarum genus est et ratio: aliæ enim monumentis historicis aperte proditæ sunt, alias non nisi conjecturæ probabilitate assequi possumus: ita duplex est earum explicandarum ratio, vel apertâ sententiæ declaratione, vel tacitâ significatione. Hanc autem dicimus, cum scriptor, quid ipse judicet, non ille quidem disertis verbis ostendit, ita vero res gestas narrando conjungit

aut separat, ut quid sentiat, facile intelligatur. Et superius quidem illud causarum genus tam est apertum tamque nihil dubitationis habet, ut e simplici rerum narratione causarum, quæ illas pepererint, sponte gignatur cognitio, atque inepta sit ac putida admonitio scriptoris. Quis enim ferat historicum, qui, cum res Suedorum, ut hoc utar, post cladem Pultovensem collapsæ sint, Carolusque rex in Turciam fugerit, longo verborum anfractu, quasi dubitet quis, nos doceat harum omnium causam calamitatum in hac una fuisse interneciva clade positam? Atqui, o bone! multo erat satius rerum perpetuitatem persequi, quam ea docere, quæ vel sine admonitione pueri intelligant. Harum igitur explicatio causarum simplici rerum narratione continetur, nec peculiarem auctoris diligentiam notationemque desiderat.

Quæ autem causæ in conjectura sunt positæ: hoc enim alterum genus erat: earum semper est anceps explicatio; sive quod non nisi leviora earum indicia exsistent, sive quod plures cogitari possunt, quarum par sit aut suppar probabilitas. Neque enim mirandum est incidere interdum, ut paulo difficilior sit causarum patefactio. Nam primum cum antiquitus omnis historicorum ars annalium tantum confectione, nullis orationis ornamentis, contineretur: quales apud Græcos, Pherecydem, Hellanicum, Acusilam, multo autem magis apud Romanos, Catonem, Pictorem, Pisonem, fuisse accepimus: mi-

nime quidem probabile est, homines bonos quidem illos, sed tamen jejunos, in causarum aut indagatione aut expositione multum operæ collocasse. Deinde, etiam si historicus earum, quas narrat, rerum bene perspectas causas animoque comprehensas habeat, sæpius tamen accidat necesse est, ut eas sive per metum, sive per adulationem, sive alias ob causas silentio prætermittat. Cum igitur seriori historico non, ut philosopho, libere vagari liceat, sed adeo sit rerum necessitate adstrictus, ut ne Thersitem quidem aliquem ex historia tollere queat, quomodo tandem, cum ex superioribus unice pendeat, quod illi tacuerint, ipse eloquatur?

Quamvis autem ea, quæ diximus, difficiliorem causarum indagationem reddunt, minime tamen hæc ita interpretanda sunt, quasi prorsus sit desperanda earum inventio. Sæpius enim fit, ut scriptores, quæ prudentes taceant, ea per imprudentiam prodant. Causam si quæro cur Saxones Carolus Magnus vexaverit, licet omnes taceant, aut etiam religionem obtendant, mihi quidem ad rei intelligentiam satis est, quanta in eo fuerit dominandi cupiditas, ab iisdem historicis didicisse. Omnino sunt multæ variæque causas reperiendi viæ et rationes. Nam et hominum indoles, et imperiorum formæ, et mutua rerum conjunctio, et regionum natura, et eventuum ratio, et alia multa, tam variam habent tamque multiplicem causarum significationem, ut earum rerum

animadversione, modo veri studium afferatur et sagax ingenium, id, quod quæritur, probabiliter reperiatur.

Quæ cum ita sint, mirari satis, Caje atque Sexte, non possum, quid sit, quod multi tam angustis finibus historicorum jus circumscribant, ut, quod ceteris concedant, his unis negent. Nulla enim disciplina perfecta censi solet, quæ non, præter rerum observationem, causarum quoque vim et declarationem complectatur. Quid? quod etiam, ut ulvam et arundinem aquâ mersi, sic, ubi levisimum vix causarum argumentum exstat, tamen hoc, quantulumcunque est, arripere malimus, quam earum ignorationem confiteri. Quis vero aut physicum aut medicum rem alienam agere contendat, si, quid de rerum, quas tractant, causis ipsi suspicentur, exponant? Nisi vero Thales Milesius, nisi Anaxagoras, nisi Democritus, nisi Parmenides, quorum omnis vita in rerum contemplatione versata est, inanes ardeliones fuerunt, quod ulterius progressi suas quoque de rerum causis ac principiis sententias patefecerint. Qui sane, nisi in illis causis et perscrutandis et explicandis operam suam ac studium collocassent, non modo tantam sibi, quantam adepti sunt, nominis gloriam peperissent, sed ne philosophi quidem fuissent. Quid ergo? Illi exponent, unde hunc mundi ornatum extitisse censeant, quo nutu stellarum cursus confici, quibus legibus omnia

cohærere, qua ratione fruges, eaque omnia, quæ terra gignat, pubescere, ac solis calore tepefacta, maturitatem assequi; historicus vero, quibus de causis, se quidem iudice, quæ bella suscepta, quos exitus habuerint, quibus virtutibus quæ republicæ constitutæ, quibus legibus confirmatæ, quibus vitiis labefactatæ sint, aliaque multa, non exponet? Quid medicos dicam, quorum ita quisque artis peritissimus haberi solet, ut morborum causas et sagacissime indagat et accuratissime explicet? Neque vero Hippocrates ille aut Galenus aut noster Boerhavius laudem suam ad omnem posteritatem et sempiternam gloriam propagavissent, nisi, quæ ipsi de morborum causis sensissent, ea literis mandassent, hominumque iudicio subiecissent.

Horum igitur si disciplina causarum quoque investigationem complectitur, nec, si, quod iudicent, palam profitentur, non modo succenset iis quisquam, sed etiam magnam omnem gratiam habent, quomodo non iniqui in historiam sint, qui eam, tamquam vetulam loquacem, si res gestas narrare liceat, satis habere jubeant, eandem causarum indagatricem esse et explicatricem nolint? Neque illud dicendum est, naturæ quidem ac medicinæ cognitionem nullam esse, nisi cum causarum intelligentia jungatur; in historia vero res ipsas observari animadvertique posse, etsi causæ non reperiantur. Quid ergo? num grandines, num tempestates, num ter-

ræ motus, num febris, num stranguria, observari minus possunt quam expeditiones, quam proelia, quam victoriæ, quam imperiorum rerumque publicarum conversiones? Et si ad eas, quas dixi, disciplinas et firmandas et ornandas non modo magna fit a causarum scientia et expositione accessio, sed etiam magna illarum pars hac ipsa cognitione causarum ac declaratione continetur; in historia quidem quæ antecedunt, et quæ consequuntur, ita plerumque sunt apta inter se atque connexa, ut nisi illa teneas, in horum magna ignorationis parte versere. Neque enim, quid gestum sit, tantum quaeritur, sed etiam, quomodo? quo consilio? quare hoc modo, non secus? Quamobrem, qui aut Muhammedis aut Gregorii Septimi res gestas conscribat, rerum causas opportunitatesque negligat, næ is incredibiliter balbutire videatur. Quod igitur a ceterarum doctoribus disciplinarum fieri volumus, ut omni ratione discentium studium intelligentiamque adjuvent, idem facere historicos censemus oportere, ut in causarum obscuritate monumentorum penuriam ingenii sagacitate compensent.

Neque enim qui uno narrandi officio historicos contentos esse, jubent, omne de rerum causis iudicium legentibus relinquunt, acutissime illi præcipere videntur. Qui sane dicerent aliquid, si historicus, quod sibi sumeret, id ceteris auferret, ipseque cum iudicaret, alios iudicare non sineret. Quod secus est.

Nisi vero Socrates Platoni, aut Copernicus Newtono, aut Kantio Cartesius, judicandi potestatem eripuit, eam scilicet ob causam, quod illorum de omni philosophia iudicium horum sententias aut etiam aetates antecesserit. Historicus cum, quid *sibi* videatur, aperit, ad ejusdem, quod legentibus conceditur, societatem juris communitatemque se aggregat, in quo si peccare iudicetur repellaturque a lectoribus, videte ne aliquando eodem jure ab hoc foco, ad quem sedemus, liberi mei me patrem-familias avellant. Nam quod historico eam praecipue ob causam a sententiae declaratione abstinendum existimant, ut legentes integre iudicare possint, nec imprudentes in errorem inducantur; primum rursus quaero, cur non medicis etiam et physicis eandem tacendi legem necessitatemque imponant? Deinde perverse agunt, quod hominum vitia in rei vituperationem trahunt. Si enim scriptor aut ita superbus sit, ut, quod tantum suspicetur, id tamquam Pythius Apollo pro certo affirmet, aut ita levis, ut nihil pensi habeat, quin rerum veritas ad ingenii commendationem torqueatur, quis non omnem erroris causam in auctoris perversitate positam esse intelligat? Neque semper culpa vacant lectores. Ut enim Pythagorae auditores accepimus tantum tribuisse praedictio magistri, ut etiam sine ratione valeret auctoritas, ita multorum ignavia auctoris voci quasi oraculo acqui-



escit. Sed nos in omni hoc sermone nec malos historicos, neque ineptos lectores, sed utrosque bonos, sed prudentes, sed veri studiosos nobis proponimus.

Sunt etiam, qui, cum in historia nihil probent nisi quod certum sit ac nullam dubitationem habeat, eam ipsam ob causam scriptoris sententiam audire se velle negent: neque enim committendum esse, ut veritatis gravitas conjecturæ levitate imminuatur. Quorum si audienda sit oratio, quis erit in historia Herculi locus? Quis Argonautarum expeditioni? Quis denique ipsi bello Trojano? Sin vero ea referri a scriptore cupiunt, nonne de severitate remittunt, cum, quid historico verum falsumve videatur, libenter cognoscant? Omnino multa habet historia fabulis fictis finitima atque ita obscura, ut nisi narrator iudicii lucem afferat, fieri nullo pacto possit, ut tenebræ dispellantur.

Eorum vero maxime morosum ac difficile genus est, qui cum nihil utile esse putent, nisi quod evidens sit ac testimonii auctoritate, tamquam fundamento, nitatur, omnem de rerum causis conjecturam ut inutile quiddam ac nugatorium, aspernentur. Qui quidem homines mirum ni succensent Columbo, quod navigationi se commiserit, non certus ille sed tantum suspicatus, esse Americam. Omnino plurimarum optimarumque rerum inventionem a conjectura profectam esse constat. Quin ipsis humanitatis studiis, quis ignorat, quam fruc-

tuosa semper fuerit eorum solertia, qui Critici appellantur, quique in conjiciendi arte tantam muneris laudisque partem ponunt, ut vix quemquam, etiamsi doctissimus sit, in suum velut collegium coöptent, nisi ingenio ad inveniendum valeat. Quid ergo? Historicis ut vitium interdictum sit, quod Criticis cum laude facere liceat? Phoenissas scribat Euripides, an Persiam petat Alexander, in rerum magnitudine multum, in veritate nihil interest: neque enim certius est hunc bellasse quam illum scripsisse. Si igitur Valckenaerius præclare meruisse de Euripide existimatur, quod multis fabulæ locis ab uno ingenio medicinam petierit, quid tandem est, quod historico quis irascatur, si suum de rerum causis iudicium expromat, quarum adeo utilis est ac necessaria scientia, ut sine hac cognitione ne historiæ quidem nomen retineri posse videatur? Quæ tamen non ita volumus accipi, quasi idem sit Historici atque Critici negotium: sed hoc dicimus, si nihil sit utile, nisi quod evidentiae vim demonstrationemque habeat, ne a summis quidem ingenio viris multum emolumenti ad bonas literas umquam pervenisse.

Est autem omne hoc negotium ejusmodi, ut etiamsi historicus iudicio erret, haud tamen perniciosus error videatur. Neque enim a perversa de rerum causis opinione ipsis rebus detrimenti quicquam importatur, quippe quæ stabiles sint, nec

o narrantis sententia pendeant: neque lectores volumus, qui se totos auctori tradant, nihil sibi vindicent: et vero error aut numquam arguetur, aut, si quando patefiat, ejusmodi tamen erant causæ sumtæ, quæ si exstitissent, eandem rerum consecutionem fuissent habituræ. Itaque, quod in ceteris omnibus disciplinis facere solemus, ut probabilitatem sequamur, dum aut probabilius quid, aut etiam certum fuerit allatum, ita quod in historia verisimillimum videatur, in eo acquiescamus, usque dum meliora fuerint comperta.

Sed quoniam in omnibus rebus, quoad ejus fieri potest, fugiendus error est, in historia quoque erroris turpitude, quantum placeat, ac perniciēs exaggeretur. Uter ergo, major metus est, ne per errorem labatur? isne qui multum temporis, studii, diligentiae, in earum rerum, quas literis mandat, cognitione consumserit, an ille, cujus accuratissima lectio tumultuaria censi debet, si cum scriptoris negotio ac labore contendatur? Est enim hoc menti nostræ innatum et quasi insculptum, ut a rerum scientia ad causarum indagacionem sua se sponte efferat, nec facile recipiat se, nisi, in quo consistat, fuerit adepta. Quod non tantum in sapientibus viris intelligitur, sed etiam in hominibus plebejis, in muliereculis, in pueris, quin in ipsis illis, qui hujus mundi auctorem esse Deum, aut negant aut dubitant, ut sensisse Protagoram, Diagoram Melium,

Theodorum Cyrenaicum, accepimus, qui ad quærendam hujus universitatis causam ita se contulerunt, ut, quamquam non repererint, tamen ipsum quærendi studium insitam animi vim alacritatemque declararet. Quamobrem, si quis in historicis eam severitatem adhibeat, ut eos, quod ipsi sentiant, dicere vetet, lectores tamen numquam adducet, ut vim inferant naturæ, quæ ut in ceteris rebus omnibus humano generi præclare consuluit, ita haud scio an hoc sit omnium præstantissimum, quod, cum cetera animantia in præsentibus tantum rebus acquiescant, nos etiam ad causarum cognitionem animi quodam motu et impulsione, quasi quadrigis quibusdam, vehimur. Ut igitur in quaque arte maximi fieri eorum judicium solet, qui eam præcipue delegerunt, in qua elaborarent, ita in historia nescio quid sit quod judicandi primæ non ad scribentem sed ad legentem deferantur. Qui enim rerum causas ita semper apertas esse existimant, ut a quovis non stupidissimo facile animadverti possint, incredibile est, quantum fallantur. Non forum semper, non hominum concursus, non bellorum eventus, causarum cognitionem afferunt. Nocturna sæpe concilia speculanda sunt, animorum etiam latebræ atque recessus perscrutandi. Si autem eorum, qui historias conscribunt, nemo tam lynceus est, qui non aliquando in his tenebris offendat, quid tandem eos facturos existimemus, qui, ut fieri solet,

causarum cognitioni non tantam, quantam auctor, operam dederint? Quid? quod sæpenumerò accidit, ut lectores, etiamsi acerrimum studium afferant, tamen ad causarum intelligentiam nunquam pervenire possint. Non enim de iis causis quæritur, quarum notitia a rebus pervulgatis peti debeat, sed de dubiis, obscuris, et in conjecturæ quadam probabilitate positis. Harum igitur causarum significationes cum in rebus minutis inesse soleant, quæ, cum historico cognitæ sint atque perspectæ, tamen et propter multitudinem et ob momenti levitatem in historiæ descriptionem non cadant, quomodo non in lubrico lectorum iudicium versetur, cum ne ea quidem auctor retulerit, ex quibus unice de rerum causis capi conjectura debeat? Neque tantum periculum est, ne veras causas nunquam lector reperiat, sed etiam ne falsas arripiat. Solet enim historia tum maxime multiplicem in nos fallaciam intendere, cum a quibus causis quæque orta sint atque profecta, quærimus. Nam cum quæque res, cujus causa indagatur, magna aliarum rerum multitudine circumfusa esse soleat, quarum aut una aut plures etiam causæ speciem aliquam probabilitatemque habeant, ad has lectorum iudicium naturali quodam nutu et inclinatione fertur, has amplectuntur, has tenent, atque plerumque non tantum longius respiciunt, sed etiam vix posse longius respici arbitrantur. Quod, quo intelligatur quale sit, exem-

plis declaremus. In illis quidem, quorum comitatu quamque rem, de cujus causa quærat, cingi sepirique solere, diximus, ea præcipuas quasdam ansas ad causarum inventionem habere videntur, quæ proxime rem aut *antecedunt*, aut *consequuntur*. Ut enim superiorum illorum facilis est cum iis, quæ sequuntur, conjunctio, sic ab horum posteriorum cognitione haud difficulter ad illa se animus erigit atque enititur. Quem ego mentis motum non tantum reprimendum non esse arbitror, sed etiam adjuvandum et confirmandum, imprimisque ab historico postulo, ut rerum adjuncta, quantum possit, diligenter atque perspicue exponat. Sed quo sæpius ab his magna cum verisimilitudine causarum intelligentia repeti potest, eo prudentius scriptori cavendum est, ne, cum illæ haud raro in rebus remotioribus aut obscurioribus positæ sint, in errorem judicii lectores inducantur. Capta a Turcis Constantinopoli doctos homines e Græcia se in Italiam contulisse, eamque regionem omni doctrinarum genere illustravisse accepimus. Quæ tempora cum Lutheri ætas proxime subsecuta sit, estne continuo consequens, ut, quod multis videri video, ab hac literarum luce unice aut etiam præcipue profecta sit religionis per Lutherum instauratio? Aut cum funestis illis in Palæstinam expeditionibus mirifice confirmata sit Pontificum Romanorum auctoritas, tantane illi futurorum prudentiâ valuisse existimandi sunt, ut dominandi

causâ ad arma homines compulerint? Aliæ prorsus fuerunt, atque ab iis, quas commemoravi, longe diversæ utriusque rei causæ, quas hoc quidem loco exponere non attinet. Illud autem intelligi volumus, ea, quæ rem antecedant aut subsequantur non semper ad causæ inventionem sufficere, quin etiam, quo majora sint, quo illustriora, quo magis mentis oculos in se convertant, eo majus periculum esse, ne quis opinionis error suscipiatur, cum fieri facile possit, ut veræ causæ eorum magnitudine ita obruantur, ut vix observari animadvertique possint. Quemadmodum igitur Homericus ille Ulysses nauticorum aures cerâ oblevisse dicitur, ne Sirenium cantu capti ad scopulos deferrentur, sic in historia studio, quasi in navigatione, dux nobis opus est, cujus voce ac monitione errorum, ut ita dicam, saxa prætervehamur. Quod quidem munus, cum magnam prudentiam accuratamque rerum cognitionem desideret, cui potius deferamus quam ipsi historico, equidem me fateor neminem reperire.

In omni autem hoc sermone illud sumi memento, nihil esse in universa historia aut ad agnitionem animi pulcrius, aut ad moderandam vitam utilius, quam intelligentiam causarum. Quod nisi ita esset, non tantum de historici officio contrariam sequerentur sententiam, atque illam, quam paulo ante defendi, sed etiam hortarer vos, ne quid studii in earum rerum indagatione poneretis, quarum inventio uti-

litate careret. Nos autem hoc loco historiae pragmaticae utilitates praetermittimus, quippe de quibus neque quaeratur, neque ulla sit opinionum varietas ac dissensio. Sed quoniam in omni scriptione duo quaeri solent, unum, quid scribatur, alterum, quo modo? illud etiam monendum est, ad ornandam orationem plurimum valere causarum explicationem. Quod melius numquam intellexi, quam cum aliquando in Taciti Annalibus periclitarer, quae tandem oratio relinqueretur, sublatis amputatisque iis, quae de auctoris essent sententia atque iudicio adspersa? Dii immortales! ut continuo marcescere et decidere orationis florem, tamquam detracto succo, videbam! Quod ego exemplo aliquo declararem, nisi Taciti res ageretur, cuius quo major est auctoritas, eo magis cavendum est, ne quid ridiculi cum eius nomine jungatur.

Quae cum ille dixisset, tum Sextus: tu vero haec ita, inquit, disseruisti, ut non me tantum Polybium reconciliaveris, verum etiam hunc, ut opinor, Cajum, qui in eius oratione graviter offenderat. Quamobrem ut in disputationis exordio cognoscere avebam, quid esses ad defendendum Polybium allaturus, ita nunc in contrariam me partem traduxisti, ut vehementius etiam, quid alii ad reprehendum afferant, ex te audire cupiam. Tu ergo, si quid gratum nobis facere vis: nam pro Cajo etiam spondeo: persequere cetera: nisi forte haec ita disputa-



veris, ut eorum, qui vituperant, quamvis non a te nominati sint, tamen sententiam fregeris. Hoc tu recte, inquit, Sexte, Lucullus, nam iis, qui contra dicunt, satis esse hac oratione occursum puto, quamquam cave nimium mihi tribuas. Sunt enim ea, quæ diximus, ejusmodi, ut nisi ad certas quasdam leges revocentur, minime res confecta existimari debeat. Sed hæc in crastinum: nunc finem, si placet.

## CAPUT TERTIUM.

POSTRIDIE cum essemus una, atque pedetentim in illud argumentum, quod tractare coeperamus, esset sermo deductus, tum Cajus: nisi tu ipse, inquit, Luculle, fuisses plura te debere professus, equidem in hesterna tua oratione libenter acquievissem: nam, ut recte dixit Sextus noster, reddidisti me Polybio. Nunc autem cum plura etiam pollicitus sis, solve, quod contraxisti, nomen: neque enim vereor, ne, cum ultro debeas, importunum me flagitorem existimes. Tum Lucullus, bene narras, Caje noster, inquit: nam ut boni debitoris est, debitum confiteri, etiamsi creditor forte ignoret, ita qui disserit, quamvis ab iis, qui audiunt, non admonetur, tamen nullam argumenti, in quo versatur, partem prætermittere debet. Itaque cum superiori disputatione effecisse nobis videamur, non tantum cum nullo legentium detrimento, sed etiam cum magno eorum fructu, historico licere, quid de rerum causis sentiat, aperire, nunc hoc agendum est, ut eam judicandi veniam certis legibus atque præceptis moderemur. Cui quidem muneri, ne longissimus, ita nos satisfacturos arbitramur, si primum

demonstremus *ubi judicandum sit*, deinde, *quales causæ sint afferendæ*, denique, *quomodo id, quod judicatum sit, exponi debeat*.

Et prima quidem, quam posuimus, quæstio brevem nobis explicationem habere videtur. Cum enim in omni hac disputatione de rerum causis *dubiis, nec satis certis*, quærat, ex hoc sermonis hujus consilio duo continuo præcepta manant, quorum alterum hesterno jam sermone exposuimus. Quale istud? inquit Sextus, neque enim satis memini. Ut historicus, inquit, perspicuitatem ne demonstratione elevet. Ubi enim rerum causæ tam *apertæ* sunt, tamque nullam dubitationem habent, ut a quovis puero facile animadvertantur, mihi quidem scriptor, qui eas disertis verbis explicet, idem facere videatur, ac si in porta architectus inscribat, hunc esse urbis introitum. Huic autem ineptæ sedulitati oppositum *alterum* præceptum est, ut a judicando auctor abstineat, *ubi nullum omnino causarum indicium exstet*. Quod non ita dicimus, quasi sæpius accidere existimemus, ut nihil reperiatur, quo tamquam filo, ad causarum suspensionem adduci possimus; sed sumendum tamen est fieri interdum posse, quod rarissime fieri arbitror, ut nullam, ne levissimam quidem, historia afferat significationem causarum. Hic igitur cum nihil auctor habeat, quod arripiat, hanc ab eo aut prudentiam postulem, ut prorsus taceat, aut modestiam, ut causas latere

fateatur. Neque enim non magnam interdum utilitatem habet aperta ignorantiae confessio, ea praesertim, quae cum erroris refutatione jungatur. Nam qui se causas ignorare fatetur, is, necesse est, eas non veras esse ostendat, quae specie aliqua lectores fallere possint. Sed, ut diximus, perrara est ea monumentorum historicorum penuria, ut non cujusvis eventus, majoris certe et illustrioris, probabiles causas excogitari possint. Sequitur *tertium* praecipuum, ut de illis tantum rerum causis quaeratur, *quarum sit magni momenti cognitio*. Cui quidem praecipuo nisi accurate pareatur, loquax inducatur ac garrula historia. Quid enim earum rerum causas cognoscere cupiam, quas ipsas cognoscere nihil meae intersit? Quamquam est haec de rerum momentis ponderandis difficilior, quam multi existimant, praecipuum. Pharsalicam pugnam is nobis enarret, qui in republica gerenda versetur, an qui rei militari studeat, incredibile dictu est, vitae disciplinaeque diversitatem quanta sit consecutura iudicii diversitas. Alter belli civilis stirpes, causas, mala persequetur, alter hoc sibi imprimis agendum existimabit, ut intelligatur, quibus de causis a Caesare sit superatus Pompejus. Neque qui scribunt tantum, sed etiam qui legunt, in magna studiorum consiliorumque varietate versantur, ut alii res sacras, alii militares, alii civiles, alii domesticas, alii alia cognoscere cupiant. Horum igitur, cum nullo pacto fieri possit, ut idem sit de

rerum momentis iudicium, historici est aut omnium studiis satisfacere, aut, contractiori argumento, uni tantum alterive legentium generi consulere. Ego quidem, ut, quid mihi videatur, dicam; ita semper existimavi, ut in ceteris disciplinis omnibus, sic in historia, esse debere aliquid ultimum atque extremum, quo sint omnia referenda. Quod utrum repertum jam sit nec ne? nondum dicere audeo: nam magna opinionum diversitas est: sed si quando reperiatur, libram habebimus, qua rerum pondera perpendamus. Ut enim in ædificiis eas præcipue partes animadvertere solemus, quæ cum ad eorum ornatum, tum ad usum commoditatemque pertineant, ita in historia, quo est quæque res cum ultimo illo atque supremo consilio conjunctior, eo illustrior esse atque majoris momenti, judicari debet.

Sequitur, ut doceamus, *quales causæ ab historico afferendæ sint*, si quidem munere suo laudabiliter fungi velit. Quas si uno verbo *probabiles* esse debere dicam, verear ut rem pro vestra expectatione satis declarem. Quamquam et mihi satis perspicua res videtur, et vobis etiam, ut opinor; sed agitare me velle videmini. Tum Cajus, vide quantum fallare, inquit: etsi enim vim vocis bene cognitam habeo, tamen quid in hac causâ *probabile* dici debeat, te cupio audire explicantem. Neque nos movet, quod importunitatem vobis objicis: nam et ultro in hanc te sermonis partem coniecisti, et eâ nos soles hu-

manitate ac benivolentia prosequi, ut studio nostro te facile ignoturum confidamus. Sustinebo igitur, inquit, quod mihi imponitis, disserendi onus, sub ea quidem conditione, ut si nil nisi trita ac pervulgata afferam, ejus rei culpam non mihi sed vobismet assignetis. Quam cum illi conditionem ridentes accepissent, tum Lucullus:

Quandoquidem, inquit, cujusque rei multae variaeque excogitari causae possunt, nos autem de iis causis loquimur, quarum inventio non in monumentorum auctoritate, sed in hominum judicio atque sagacitate posita est, in omni hoc negotio una probabilitatis norma est, ad quam historici sententia dirigi exigique debeat. In quo refutandus eorum error est, qui ita se laudem ingenii consecuturos existimant, si simplici naturae cursu relicto, *ad mirabilia nec opinata* deflectant. Qua quidem opinione nihil stultius pueriliusque reperiri potest. Quae enim a communi vita usuque discedunt, tum demum veri similitudinem habent, cum in testimonii auctoritate nituntur. Atqui hanc ipsam de omni hoc sermone sublatam esse volumus. Deinde, cum historia de manu in manum tradi soleat, illae quoque causae probabiles existimari non debent, *quas minime verisimile sit historicum rebus aequalem aut proxime etiam posteriorem, aut omnino ignoravisse, aut, si sciverit, non proditurum fuisse.* Quo enim causa, quam suspiceris, major atque illustrior est,

quoque facilius ab historico æquali animadverti poterat, eo magis probabilitate caret suspicio. Neque ipsarum rerum magnitudo eam vim habet, ut illæ ad magnas semper causas referri debeant. Quis enim adeo hospes in historia, qui maximas sæpe res ab exiguis causis initiisque proficisci ignoret? Sed ne videar, quid sit in hoc negotio *probabile*, prætermittere, quid non sit, docere velle, paulo accuratius de hoc argumento disserendum esse video. Mihi igitur quatuor esse veluti fontes videntur, ex quibus causarum conjecturæ derivari debeant. Nam historico et animadvertendæ sunt *res ipsæ*, et observanda earum *adjuncta*, et eorum, qui illas gesserunt, cognoscendæ *naturæ*, et conquirendæ similitudines *exemplorum*.

Et rerum quidem *ipsarum* animadversio quantum valeat ad causarum inventionem, neminem fugere arbitror. Est enim hæc nobis ab ipsa natura tamquam digito demonstrata via, ut rebus cognitis, ad causarum nos inquisitionem efferremus. Sed ut in tabulis pictis sæpius usu evenit, ut, cum universe artificis opus manumque agnoscamus, ipsum tamen artificem ignoremus, ita rerum gestarum universæ sæpe causæ cognitæ sunt, singulæ dubitationem habent. Quamobrem qui de rebus ipsis causarum conjecturam capere cupit, parum ille mihi profecturus videtur, nise acre iudicium adhibeat, quo non solum res universas uno adpectu contem-

pletur, sed etiam minutissimas earum partes consideret atque perlustret. Nam quemadmodum, ut eodem simili utar, artificum opera exiguis sæpe tenuibusque lineamentis a se invicem discernuntur, ita parva rerum momenta haud raro verarum indicia causarum significationesque habent. Ita autem rebus omni cogitatione pertractatis, ut nulla te particula fugiat, causæ, quas animo complectare, singulæ rebus adhibendæ sunt prudenterque comparandæ. Quam autem causam ejusmodi reperiās, ut singula, quæ in re sint, ad eam referri posse videantur, hanc probabiliter esse eam, quam quæras, causam existimato. Cave autem verisimilitudinis mediocritate contentus sis. Etsi enim plurimæ rei partes ad eam, quæ sumatur, causam referri possint, tamen, si vel paucæ repugnent, falsa sit atque commenticia causa, necesse est.

In rerum quoque *adjunctis*, sive eas antecedant, sive consequantur, permagna est causarum reperiendarum opportunitas. Ut enim in superioribus plerumque eorum, quæ sequuntur, semina continentur, ita rei consequentia sæpius causæ cognitionem affert. Sed ea res hanc unam habet atque necessariam cautionem, ut, quo vinculo cum ipsis rebus adjuncta earum copulata sint, diligenter consideretur. Cum enim illa conjunctio sæpius in casu quodam ac fortunæ temeritate posita sit, illud profecto intelligi debet, talem rerum adjunctorumque



copulationem nihil omnino ad causarum inventionem conferre. Loquimur enim de iis rebus, quæ humano consilio geruntur, quarum in numero ea haberi nequeunt, quæ, cum fortuita sint, neque sagacitati cuiuspiam neque errori tribui possunt. Itaque tum demum de rerum adjunctis capi causarum conjectura potest, cum ea, quæ res aut antecedunt aut consequuntur, naturali quodam vinculo ita ex rebus ipsis apta atque nexa sunt, ut in ea conjunctione nullus fortunæ locus sit, omnia ad humani consilii vim prudentiamque referantur.

Quandoquidem autem, ut diximus, res gestæ, ex quibus historia constat, maximam partem ab hominum consiliis sunt profectæ, atque proficisci solent, cumque propterea in animorum recessibus rerum causæ, quas quærimus, lateant, cuique apertum esse debet, ad causarum patefactionem plurimum valere, ut eorum *indolem moresque pernoscamus*, quorum in rebus sive gerendis sive moderandis præcipuæ fuerint partes maximaque auctoritas. Cum igitur eorum universa consideranda vita est, tum inter se contendendæ variæ vitæ partes, ut in similibus dissimilibusque rebus quid spectaverint, quid fugerint, quid egerint, accurate intelligatur. Hac enim una ratione colligitur ea, de qua loquimur, morum cognitio, quam cum assecuti fuerimus, tum plurimum profecerimus in causarum investigatione.

Quod autem postremo loco posuimus, conquiendas quoque esse similitudines *exemplorum*, eam rationem sæpe lubricam esse fateor, atque tenuem tantum præbere suspicionem causarum. Est enim tanta hominum, ingeniorum, consiliorum, rerumque varietas, ut, cum idem multi agant, minime tamen existimari debeant, iisdem semper causis, ad id, quod agant, commoveri. Itaque tum demum hanc rationem adhiberi velim, cum in magna hominum, rerum, temporumque similitudine, unius rei, cujus causa cognita sit, exemplum ad alterius intelligentiam transferri potest. Probabiliter enim ponitur, simili homines ingenio in simili rerum conditione similibus consiliis duci.

Hæc igitur habuimus, quæ de rerum causis reperiendis dissereremus. Ut autem intelligatur, quomodo ex iis, quæ diximus, probabilis conjectura efficiatur, hoc animadverti debet, harum rationum aut summam conspirationem esse debere aut nullam certe pugnam. Neque enim, quæ ex *ipsis* forte *rebus* conjectura nascatur, vera esse potest, si aut in earum *adjuncta* non cadat, aut non consentanea sit eorum, qui iis præfuerunt, *ingeniis*: neque in his rursus aliqua est ad investigandas causas ansa, nisi ab ipsis rebus probabilitas accedat. In *exemplis* autem hæc est adhibenda exceptio, ut, si adsint, aliquid firmamenti ceteris rationibus afferant, si desiderentur, non magnopere illas labefactent.

Quæ autem *tertio loco* a nobis posita quæstio est, *quomodo historicum suam de rerum causis sententiam exponere oporteat?* ea nobis facillimo negotio profligari et ad exitum perducì videtur. Duobis enim præceptis omne hoc scriptoris officium continetur, altero, ut *judicium suum argumentis confirmet*, altero, ut *modeste ac verecunde sententiam dicat*. Et prioris quidem præcepti quam sit necessaria observatio, ex eo existimari potest, quod non in rebus parvis atque nullius momenti, sed, ut ante monuimus, in magnis atque illustribus, historici judicium desideratur. Quotus enim quisque est, qui non intelligat, quo graviora sint rerum pondera, eo majus operæ pretium esse, non solum *quid* de earum causis sentias, sed etiam *quare* ita sentias, cum rationibus explicare? Neque legentium utilitati satis mihi servire videtur, qui auctoritate magis, quam argumentis agit. Est enim hoc nobis insitum, vel potius innatum, ut etiamsi ei, qui aliquid ajat aut neget, plurimum tribuamus, tamen nisi sententiæ causas afferat, submolestius in ejus auctoritate acquiescamus. Neque vero cum historicus, quid sibi videatur, exponit, hoc tantum legentium spectare commodum debet, ut ejus unius rei, quæ nunc ipsum in quæstione versetur, causam cognoscant, verum etiam, ut ab eo discant, qua via et ratione, si ipsi aliquando proprio Marte eam rem agere velint, aliarum rerum causas inves-

tigare queant. Hoc autem commodum tum demum consequi possumus, si auctor ita sententiam suam explicat, ut, et quibus argumentis ad eam sit adductus, et quomodo illa invenerit, et quare tantam iis vim tribuat, a lectoribus intelligatur. Quod autem in sententia dicenda *modestiam* postulamus, hoc quidem præceptum illi, quod explicuimus, finitimum est, cum is tandem historicus modeste mihi agere videatur, qui tantum lectoribus tribuat, ut eorum assensionem ratione elicere malit, quam auctoritate extorquere. Sed in ipsa quoque oratione ea verecundia inesse debet, quæ, etsi gravissimis argumentis sententia auctoris nitatur, tamen semper lectores admoneat, ut rei veritatem a scribentis iudicio discernant. Itaque eam scriptor prudentiam adhibebit, ut, cum de rerum causis sententiam dicat, ejusmodi semper dictionibus utatur, quæ modestiæ aliquam significationem habeant, quales sunt *existimem*, *opinor*, *videtur*: quo fiet, ut affirmandi temeritate nec prudentes offendantur, nec imprudentes decipiantur.

Quæ cum Lucullus dixisset, hic, inquit, finem, nisi ad hæc quid vultis. Intuebatur autem Cajum, qui jam dudum ore ac vultu significare videbatur, se aliquid velle. Tum Cajus, valde, inquit, tua mihi, Luculle, placuit oratio, neque quicquam video, quo multum labefactari sententia tua queat. Quod autem a me expectare aliquid videris, quod dicam

contra, non tu magnopere falleris. Sed nunc quidem

——— *humentibus umbris*  
*Nox operit terras.*

Quod autem habeo, illud cum causa praesenti ita est conjunctum, ut, etiamsi non moneam, tamen fore praevideam, ut eo aliquando sua sponte disputatio delabatur.

---

## CAPUT QUARTUM.

Cum ita discessissemus, longior, quam opinati fueramus, secuta est conveniendi intercapedo. Lucullus enim, quo duce ægre carebamus, tantis subito tamque molestis negotiis implicatus est, ut de re, quam adhuc tractaveramus, vix cogitandi, nedum disserendi, spatium relinqueretur. Illuxit paulo post dies ille memorabilis atque sempiterna recordatione dignus, qui impotentissimo tyranno interitum, salutem patriæ libertatemque attulit. Qua patria cum nihil nobis, ne vita quidem, carius esse debeat, quis tandem miretur præclaro illo ac prorsus singulari Dei immortalis beneficio ita nos affectos, tamque incredibili voluptate perfusos fuisse, ut, cum in tenebris et quasi parietinis Reipublicæ literarum studia solatium nobis ac perfugium præbuissent, nunc, e bibliothecarum pulvere evolantes, eas ipsas literas, quæ nobis vitæ tranquillitatem largitæ fuerant, jacere pateremur, quo recuperatæ salutis adpectu oculos nostros animosque pascere.

His igitur rebus, partim gratis partim ingratas, cum magna hiemis pars esset transacta, sensim nobis ver obrepit. Qua anni tempestate cum, ut solitus

erat, rus concessisset Lucullus, et aliquantum temporis ex molestiis conquievisset, tandem, pristinae consuetudinis memor, ille nos in villam. Quocum convenissemus, primum pauca de Republica, tum de literis, quarum ille suavitatem delectationemque cum multis jam annos unice fuisset complexus, tamen numquam vehementius desideratam a se et expetitam fuisse, narrabat, quam in illa turba et colluvie rerum, quæ cum his studiis nullam societatem conjunctionemque haberent. Neque tamen, inquit, adeo me negotiorum multitudo obruit, quin et superioris nostri sermonis meminerim, et hunc Cajum recorder aliquid ad ea, quæ tum disserueram, monitum fuisse, nisi nos discedere coegisset nox. Tum Cajus, et memini, Luculle, inquit, et teneo te, neque committam, ut denuo per noctem elabare. Sed quoniam te aliquando non tantum otiosum sumus nacti, verum etiam ad ejusdem sermonis instaurationem paratum, hac coeli serenitate tectorum me angustiis haud contineri patiar. Nisi enim has Rheni ripas murium tantum ac ranarum causâ herbis floribusque vestitas esse putatis, in pratorum, si placet, viriditate aut in tuis, Luculle, silvis obambulemus, quarum ego alsâ et salubri amoenitate ita delectari soleo, ut omnes Academias, omnia Cnosiorum cupresseta, omnes directos in quincuncem arborum ordines, non tantum magnopere curem illa, sed etiam asperner et contemnam. Tum ille, morem, inquit,

Cajo nostro geramus, qui, in prædicanda hujus ter-  
pestatis jucunditate, Floræ alicujus aut Pomonæ aurâ  
afflari videtur. Neque enim tanti, quanti ille, hortu-  
los meos facio, neque tamen spatiosiores desidero:

*Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus.*

Cum igitur in eum locum devenissemus, quem  
procera quercus opacabat, tum Lucullus, paululum  
subsistens, quandoquidem, inquit, recordari te,  
Caje, dixisti, quæ proximo nostro consessu, cum  
satis jam disputatum videretur, mente et cogitatione  
agitates, nunc, quæso, exprome, quæ longo tem-  
pore condita tecum tenuisti. Fieri potest, inquit,  
ut fallar: sed cum ante hos aliquot menses te disse-  
rentem audiremus, eamque tu quæstionem tractares,  
an historici esset, quid de rerum causis ipse sentiret,  
lectoribus exponere, videbatur mihi disputatio tua a  
proposito aberrare. Quomodo tandem? ille inquit.  
Quoniam Viri Eruditi, ad quorum quæstionem te velle  
significabas orationis tuæ tamquam cursum dirigere,  
non tam mihi de ipsa causarum indagatione quærere  
videbantur, quam multo potius de earum judicatio-  
ne, laudabilesne an vitiosæ sint, sapientes an stultæ,  
prudentes an imprudentes. Quam ego ut Doctissi-  
morum Virorum mentem esse adhuc existimem,  
adducunt me reliqua, quæ in hac quæstione ad  
disceptationem proponuntur. Quamquam cave cre-  
das disputationem tuam non magnopere mihi pla-



cuisse. Ut enim in orationibus sæpius accidit, ut ea maxime delectent, quæ a proposito sint alieniora, ita disputator ab argumento deflectere potest, ut tamen laudanda sit ipsa disputatio. Tum Lucullus, non ego sum nescius, inquit, sæpe usu venire, ut, quæ aliis certa atque perspicua sint, eadem aliis ambigua atque obscura videantur. In hac autem causa, nisi quod nimium festinanter, Caje, judicas, nulla mihi tecum dissensio est. Mihi enim, cum primum in illam quæstionem Harlemensem incidissem, ne in mentem quidem venit aliter existimare, quin de *historia pragmatica* quæreretur. Cujus cum duæ sint partes, quarum altera ad *causarum cognitionem*, altera ad *prudentiæ virtutisque fructum* refertur, illam quidem superiori sumus disputatione complexi; hanc, de qua una tu quæri putas, hoc ipso sermone atque congressu persequemur. Quo autem intelligatur, quæ sit hujus disputationis cum superiori conjunctio, in memoriam sunt revocanda, quæ initio, ante hoc quinquemestre intervallum, disseruimus. Cum enim aliæ causæ *apertæ* sint, aliæ in scriptoris *conjectura positæ*, hæc duo causarum genera duas afferunt earum explicandarum rationes. Et in causis quidem apertis ita historicus versabitur, ut res gestas sic copulet inter se atque jungat, ut quemadmodum aliæ rerum causæ ex aliis aptæ atque nexæ sint, sua sponte a lectoribus intelligatur. Alia est ratio earum causarum, quas, cum historia taceat,

judicii conjecturæque probabilitate assequi auctor debet. Si enim, quas causas ipse probabiles ducit, eas ita cum rebus gestis conjungit, ut ea conjunctio non in scriptoris judicio, sed in historiæ auctoritate, posita videatur, vide ne dubia pro certis afferat, atque eos, qui legunt, in magnam fraudem impellat. Quamobrem has causas ita esse scriptori explicandas sentio, ut non tacitus fallat, sed diserte, *quid sibi videatur*, declaret, quo semper historici judicium secerni a rei veritate et internosci possit. De hoc igitur causarum genere, altero omisso, cum superioribus nostris conventionibus disseruerimus, accommodate ad Eruditorum Virorum consilium voluntatemque fecisse videmur. Quæ autem restat historiæ pars pragmaticæ, ea partim angustius, partim uberius argumentum habet, quam illa, quæ est a nobis ante exposita. Cum enim præter eas rerum causas, quæ in humanis consiliis sunt positæ, alia multa causarum genera existere soleant, tamquam fortunâ aliqua aut fato apportata, illud profecto intelligi debet, quamquam *casus* etiam observanda sit temeritas, ab hominibus tamen sapientiæ virtutisque fructum ex iis optime causis percipi, quæ ab hominum prudentia voluntateque proficiantur, amputatis relictisque fortuitis, quarum nulla sit cum humano consilio, prudentia, sagacitate conjunctio. Itaque cum adhuc de universis causarum generibus præcipue disputaverimus, nunc quidem, cum illam partem sumus

tractaturi, quam *practicam* appellemus licet, et ipsi rei et Doctorum Virorum voluntati congruenter convenienterque facturi videmur, si orationem contraxerimus, atque ad illud tantum causarum genus revocarimus, quod in consilio situm est et in proposito animorum. Quamquam nolite existimare, tam diversa esse hæc genera tamque disjuncta, ut eorum quodque peculiarem disputationem desideret. Nos quidem, etsi de eorum uno tantum dicemus, ita tamen dicemus, ut non modo non separasse ea et discerpisse videamur, sed etiam ut, de causis fortuitis quomodo historicum scribere oportere putemus, ex iis, quæ de altero causarum genere disputaturi sumus, facile intelligi et judicari possit. Ut autem hoc nomine hodiernum disserendi argumentum contractius est, quam illud, quod in urbe tractavimus, ita alio rursus nomine latius atque uberius. Quandoquidem enim tum in iis tantum rerum causis versabamur, quæ, historiæ voce auctoritateque carentes, ingenio tantum et conjecturâ investigari possunt, nunc, cum ad illam pragmaticæ partem historiæ pervenimus, quæ, quid laudabile, quid vitiosum, quid imitandum fugiendumve sit, edocet, utrumque nobis causarum genus complectendum est, non tantum incertum illud atque in disceptationem cadens, sed etiam quod historiæ monumentis nitatur atque nullam dubitationem habeat. Quod autem sæpius *virtutis* nomen usurpamus, quamquam nulla ejus fit

in Programmate mentio, partim hoc facimus, quod historiae pragmaticae, de qua hic universa quaerimus, praecipuum munus in virtutis commendatione cernitur, partim quod ipsos Viros Eruditissimos sub *sapientiae* voce virtutem quoque subjecisse, arbitror, partim denique, quod ita disseremus ut, sive virtutis notio assumatur, sive omittatur, idem disputationis iter eundemque cursum teneamus.

Jam illud deprecor, Caje atque Sexte, ne longam orationem expectetis, qua historiae opportunitatem cum ad animi humani cognitionem, tum ad sapientiae comparationem, tum denique ad commendationem virtutis praedicem. Quamquam enim in hoc argumento disertus esse poteram, tamen cum neque in hunc sermonem ista laudatio cadat, neque quisquam sit, quin hoc nomine unam omnium excellentissimam disciplinam, historiam esse existimet, nolim in re et a proposito alienam et satis notam, studium nostrum atque horam consumere. Hoc unum nobis agendum est, ut intelligatur, liceatne historico, ut de rerum causis, sic etiam *de eo diserte judicare, quid sapienter, quid stulte, quid cum virtute, quid cum vitio actum omissumve sit ab iis, in quorum vita rebusque gestis versetur.*

Principio igitur, ne quid dissimulem, illud dari et concedi debere, arbitror, non esse hujus iudicii eandem rationem atque illius, quod in causarum indagacione versetur. Neque enim, ut nulla potest ac-

curata esse rerum cognitio, nisi causæ etiam, a quibus illæ profectæ sint, cognoscantur, sic quoque ad rerum intelligentiam necessario requiritur scriptoris iudicium, quo vel res ipsæ quam bene aut prave sint actæ, vel eorum, qui eas gesserint, naturæ atque mores censeantur. Ut enim, etiamsi glandium sapor dulcisne an amarus sit prorsus ignoremus, tamen, hanc quercum crescere, atque radicibus in-nixam, longe lateque ramos diffundere, animadverti a nobis et observari potest; ita justene an injuste aut Alpes trajecerit Hannibal, aut Hellespontum Alexander, ad hominum cognitionem multum, ad rerum intelligentiam nihil omnino interest. Hic Sextus, quasi vero hac oratione non prorsus ev-  
tantur ea, quæ sunt ante de causarum scientia a te disputata. Ut enim tibi concedo, justum an injustum bellum aut Italiæ Pœnus, aut Persiæ Macedo intulerit, ipsos harum expeditionum eventus exitusque cognosci ac perspici posse, ita tu vicissim fateare necesse est, quæcunque demum fuerint suscipiendi belli causæ, ad ipsius rei intelligentiam nihil prorsus referre. Tum Lucullus, vide, Sexte, inquit, ne pro iisdem habeas quæ sint dissimillima. Etiamsi enim omnes res gestas ex omni memoria ætatum temporumque enarrare possis, causas vero ignores, historiæ tantum aliquem quasi gustum habeas, accuratam cognitionem non habeas. Nisi enim vim inferre verbis volumus, ad cognitionem duo requiruntur,

alterum, ut ipsarum rerum notiones animo comprehensas teneamus, alterum, ut causarum intelligentia accedat, quâ demtâ levis relinquitur et confusa suspicio. Rudi et imperito homini horologium admoveatur, an perito artifice, qui variarum partium motus, atque cujusque motûs causas rationesque perspectas habeat, paremne in utroque artificii intelligentiam putes? Qui exactis regibus consules, consulibus imperatores successisse sciat, singulorum etiam nomina resque gestas memoriâ complectatur, causas vero tantarum conversionum rationesque ignoret, eumne populi Romani historiam accurate tenere dicas? Aliis quid videatur, nescio: ego vero ita sentio, non ulterius istum semidoctum in historia profecisse, quam in architectura eum, qui, ex qua materia ædificium exstruendum sit, norit, quomodo exstruendum sit, nesciat.

Si igitur præcipuum historici munus in eo cernitur, ut ii, qui legant, res ita, ut gestæ sint, accurate intelligant, nullo quidem jure ab eo postulari potest, ut, sicuti de rerum causis, sic etiam de illarum honestate aut turpitudine, aut de eorum, qui illas gesserint, sapientia aut imprudentia admoneat. Neque tamen, quod jure exigî a scriptore non potest, id continuo ita est ab ejus persona alienum, ut peccet si faciat. Nisi forte ea, quæ in Juris Naturæ disciplinâ *humanitatis officia* dicuntur, eam ob causam, quod cogi ad illa nemo jure potest, in

peccatis haberi debent. Physicis autem si conceditur, ut non tantum rerum naturam pandant, sed etiam illius Dei immortalis, cujus imperio hæc rerum universitas tenetur, vim, sapientiam, bonitatemque, prædicent; quidni historicis quoque hæc venia detur, ut, cum naturam humanam tamquam in scena spectandam exhibeant, orationem suam præceptis salutaribus condiant, distinguant, exhilarent? Eo minus autem verendum est, ne quid ex ea re detrimenti historia capiat, quod scriptoris iudicium, sive verum sive falsum, ipsis quidem rebus nullam mutationem affert. Neque enim historicum informamus eum, qui ingenii laudem rerum veritati anteponat, sed illum, qui, cum res gestas vere et accurate enarraverit, tum demum tamquam iudex sententiam dicat.

Sed redarguendus eorum error est, qui omne historici officium in una rerum causarumque explicatione ponunt. Ut enim in omnibus artibus ac disciplinis verissime dicitur, nisi quod faciamus, utile sit, stultam esse gloriam, ita historiæ præsertim hoc semper propositum esse debet, ut sit virtutum expultrix, vitæ dux, magistra atque præceptor virtutis. Quamobrem optimum quemque ita semper in hoc scriptionis genere elaborasse constat, ut quæ in rebus, omni memoria gestis, sapientiæ virtutisque præcepta exstarent, ea sive levi aliqua significatione, sive diserta admonitione, hominum animis

instillarent. Nam quemadmodum rerum causæ duabus rationibus explicari possunt, ut apertæ ipsis narrationibus intexantur, obscuriores tamquam digito demonstrantur, similiter ad perceptionem eorum, quæ cum ad hominum naturas pernoscendas, tum ad bene beateque vivendum pertinent, duabus viis, historia duce, perveniri potest. Quæ enim ita aperta sunt, ut a quovis non stupidissimo facile animadvertantur, in iis non tantum desiderem, sed etiam fastidiam admonitionem scriptoris. In quo admirari soleo Sanctissimorum Virorum prudentiam, qui, in Evangelio, optimi Servatoris vitam literis mandaverunt. Cujus cum sapientiam animique probitatem ita fore omnibus apertam judicassent, ut ipsorum testimonium nemo esset requisiturus, eam orationem adhibuerunt, in qua, præter simplicem rerum narrationem, nihil laudationis inesset. Sed cum in historia, tamquam in teatro, primas partes homo agat, homine autem nihil sit ad fallendum versutius, sæpius accidat necesse est, ut aut, quod liqueat, non habeamus, aut iudicio labamur. Ut igitur, quemadmodum ante diximus, cum in causarum indagatione hæremus, non est, a quo melius, quam ab ipso historico, opem petamus, ita in altera historiæ pragmaticæ parte, quam hoc conventu persequimur, sæpius insigni cum legentium utilitate iudicium suum auctor interponet. Cumque historiæ cognitio, nisi ad hominum usum emolumentumque referatur, non



yiri gravitate digna scientia, sed puerile quoddam ac nugatorium oblectamentum censi debeat, sequitur, in historici munere hoc esse præcipuum, hoc antiquissimum, ut eorum, qui legant, utilitati inserviatur. Qui eximius ac præclarus historiæ fructus cum percipi nequeat, nisi error, quoad ejus fieri potest, a judicio amoveatur, illud effici arbitror, non solum salutarem, sed etiam necessariam esse ipsius scriptoris admonitionem, si ea sit rerum, de quibus exponat, conditio, ut magnum periculum sit, ne a lectoribus, nisi admoneantur, aliquid erroris suscipiatur, ut aut de hominum naturis moribusque perverse judicent, aut honesta ducant, quæ sint turpia, expetenda, quæ fugienda, prudenter excogitata, quæ sint stulte facta. Quemadmodum igitur ipsius historici de rerum causis sententiam propterea expectimus, quod res ipsæ intelligi recte nequeunt, nisi a quibus causis quæque profecta sit, accurate cognoscatur, ita quid de hominibus eorumque rebus gestis judicandum sit, sæpius auctor diserte explicare debet, quo et lectorum error caveatur, et eorum vita virtutis sapientiæque præceptis erudiatur, quod in historia haud scio an sit ultimum et extremum, quo referri omnia debeant. Quo fit, ut utrumque officium, quamquam singulorum dispar sit causa ac necessitas, pari tamen atque eadem in laude ponendum sit. Cum enim duplex sit descriptionis consilium, quod spectare historicus debeat, cum ut, quæ vere

narret, bene intelligantur, tum ut bene intellecta in eorum, qui legant, usum convertantur, alterum munus causarum declaratione, alterum admonitionis utilitate, expletur. Sed, ut diximus, non in apertis et perspicuis ea prudentiæ virtutisque præceptio adhibebitur, sed in iis, quorum sit impeditior ratio, quæque speciem aliquam habeant ad imponendum lectoribus. Tum Cajus, satis mihi intelligere istæ videor: sed quemadmodum in ceteris disciplinis fieri solet, ut, quæ universa bene et recte præcipiantur, eorum, cum in singulis cujusque disciplinæ partibus adhibenda sint, paulo difficilior sit usus et tractatio; similiter hæc de historiæ scriptione disputatio, quamquam admodum præbo, tamen nisi ad certos quosdam locos revocetur, nimis, quod pace tua dixerim, vagari mihi videtur. Quamobrem tuum, si placet, tene morem, et sicut docuisti, quibus locis suam de rerum causis sententiam explicare auctor debeat, ita nunc quoque, cum de altera historiæ parte pragmaticæ disserimus, patefaciendas sentio insidias, quibus decepti lectores, nisi scriptoris voce admonentur, in iudicii errorem perversitatemque incidant. Nam quamvis ipse scriptor falli quoque possit, tamen hoc tibi assentior, quod tu ante posuisti, cum quisque auctor judicari debeat in earum rerum, quas literis mandat, cognitionem majorem operam studiumque impendisse, quam illi, qui legant, eam ipsam ob causam hoc ei conceden-

dum esse ab omnibus, ut, quarum rerum peritissimus omnium censeatur, de iis quoque omnium primus et rogetur et dicat sententiam. Cui Lucullus, magnam rem exigis, Caje, inquit, et arduam atque tam difficilem, ut non solum in meam ingenii mediocritatem non cadat, sed etiam, quo tibi satisfiat, consessus aliquis cogendus sit et senatus philosophorum. Si enim singulorum hominum ea est sæpe astutia, ut, quo aciem oculorum defendant, nec in animos penetrare simant, sempiterna simulatione, tamquam loricâ, arment se atque tegant, quanto magis nos falli necesse est in historia, quæ est totius humanitatis celebritas, et tamquam theatrum sæculorum! Difficilius etiam redditur negotium, quod maxima rerum pars, quas historia complectitur, geri administrarique solet ab iis, quorum consiliis, tamquam mysteriis Eleusiniis, aut nulli aut perpauci initiantur. Cumque iudicium de hominum moribus rebusque gestis sæpissime exiguis signis, quæ imperitorum aciem fugiunt, colligatur, historicus autem, sive quod tenuia illa vestigia jam deleta sint, sive propter brevitatis studium, in magnis plerumque et illustribus rebus versari cogatur, quis non intelligit, et scribenti et multo magis etiam legenti errorem, tamquam saxum Tantalo, semper imminere? E quibus tanta existit laqueorum multitudo, quibus iudicium nostrum irretiatur, ut, si quis ab historico aperiri sin-

gulos ostendique velit, is hercule postulare videatur, ut sibi maris Aegei guttae numerentur.

Nec tamen ita prorsus hanc causam despero, ut ne tentandum quidem periclitandumque aliquid censeam. Quamquam enim, quae universe disseruimus, ita retexi nequeunt, ut singula tamquam fila cerantur, tamen fieri posse puto, ut, partitione adhibita, via et ratione procedat disputatio. Nobis quidem, inquit Cajus, gratissimum feceris. In crastinum igitur? Tuo id quidem, inquit, arbitratu.

## CAPUT QUINTUM.

IN eundem locum ut postridie deveneramus, continuo Lucullus, quasi, quod promiserat, exsolvere properans, cavete, inquit, quæ hesterno die dixi, perverse interpretemini. Cum enim ab historico postulo, ut de hominum moribus rebusque gestis quid ipse judicet, iis locis declaret, quæ aliquid insidiarum habeant, in quas cadere lectores possint; non ego illam induco errandi necessitatem, quæ nullo pacto aut declinari aut superari queat. Sed de fraudulenta veri specie loquor, qua periculum est, ne, tamquam escâ, nisi manus injiciat scriptor, in errorem lector pelliciat. Etiam si igitur ipsi lectores, quamvis non admoniti, recte fortasse fuissent judicaturi, tamen, ut boni parentes de vitæ periculis admonere malunt liberos, quam puerilem prudentiam temere experiri, ita ab historico melius legentium error præcavetur, quam solertia tentatur.

Jam si quæritur, quibus locis lectorum judicio opitulari historicus debeat, pingui Minerva ita nobis agendum esse existimo, ut, cum in singulis factis, quibus historia constat, tria spectari de-

beant, primum *susceptio* et *initium*, tum *exitus* cujusque rei, denique *quibus auxiliis et instrumentis* quidque confectum sit, hunc teneamus disputationis cursum, ut ea singula quantum asserant quamque multiplex errandi periculum, intelligatur. Est autem illud disserendi iter duplex, ut aut *singula seorsum spectentur*, aut *inter sese ita conjuncta, ut ad se invicem referantur*.

Et tria quidem illa, quæ in quoque facto consideranda esse dixi, si *singula seorsum spectantur*, unam quandam habent et communem speciem ad fallendum. Quod quo intelligatur, paulo altius causa repetenda est. In ea quæstione, quid honeste, quid turpiter, quid sapienter, quid stulte, quid recte, quid prave factum sit, quid denique ex quaque re effici possit, ad ejus, qui illam gesserit, mores cognoscendos; in hac igitur quæstione is, qui aliquid fecerit, *cum voluntate* fecisse sumitur, *non invitus* neque *coactus*. Ut enim servus, quod non suo iudicio arbitratoque, sed verberibus tormentorumque metu ad exsequenda negotia movetur, non magis virtutis prudentiæque laudem consequi potest, quam lapis, qui suo nutu ac pondere deorsum fertur, sic in omni re, sublata voluntate, tollitur fortitudo, temperantia, prudentia, et, quæ est una omnium excellentissima virtus, justitia. Est autem de hac *arbitrii libertate* magna philosophorum inter se atque gravis dissensio: cum alii eam in

eligendo eo, quod optimum videatur, ponant, alii hanc divinam naturæ humanæ dotem ita definiendam esse putent, ut in rerum aut electione aut actione, nullis omnino momentis, extra nos positis, afficiamur. Et nobis quidem in tanta sententiarum varietate quid probandum improbandumve videatur, explicare nihil attinet. Neque enim hæc aurificis staterâ sed populari trutinâ examinamus.

Itaque illud animadverti volumus, duplicem esse arbitrii libertatem, alteram rerum dominam prorsus et moderatricem, alteram earum pedissequam quodammodo atque ministram. Phidias quidem, cum Jovis aut Minervæ formam faceret, potuisset etiam, si voluisset, ex eadem materia simulacrum efficere Neptuni. Itaque is ex omni parte operis sui dominus, ac prorsus sui arbitrii. Alia est ratio ejus, qui affectas vetustate imagines reficit. Is enim etsi nemine cogente laborem suscipiat, atque multa fortasse suo arbitrato agat, tamen hujus multo minus liberum est negotium, quam illius, cum habeat certam formam, ad quam artem et manum dirigere cogatur. Itaque ut hujus opera rerum statu et conditione regitur, Phidiæ autem voluntati præbebat se et obtemperabat materia; sic in omni negotio humano plurimum interest, utrum res ab arbitrio an arbitrium a re proficiscatur.

Quorsum hæc? ut intelligatur, non posse historiæ studium sive hominum moribus cognoscendis

sive virtutis sapientiæque præceptis colligendis inservire, nisi ante constet, utrum is, qui aliquid fecerit, *ultra* fecerit atque *liberrimo* iudicio, an vero *voluntatem suam ad rerum conditionem accommodaverit*. Cujus discriminis tanta vis est, ut sæpe, cum idem homo agat idem, tamen, pro re, et qui agat, jam bonus, jam pravus, et id, quod agatur, nunc turpe, nunc honestum, nunc sapienter, nunc stulte susceptum perfectumque, videri debeat. Atque ut et vitii atrocitatem et virtutis laudem voluntaria *susceptio* auget, sic voluntatis non libera per se impulsio sed per occasionem commotio, et virtuti magnam sæpe partem laudis, et vitio, turpitudinis aufert. In rerum autem *exitu eventumque* iudicando partim animadvertenda *fortuna* est, partim *consilium propositumque* eorum, qui iis præsumunt. Et fortunam quidem hoc loco prætermittimus: loquimur enim de iis rerum eventibus, qui ex hominum iudicio voluntateque pendent. Itaque, ut in rerum susceptione, sic etiam in perfectione, videndum est, utrum cujusque rei exitus a libero prorsus animi iudicio sit profectus, an vero a secundo, ut ita dicam, consilio, quod rei demum progressus atque conditio attulerit. Quod Muhammedis exemplo optime declarari potest, qui, cum restituendæ religionis consilium iniisset, tandem, successu invitatus, ad dominationem animum induxit. Similis est ratio *auxiliorum instrumentorumque*, quibus quæque res



conficiatur. Quorum cum duo sint genera, alterum eorum, quæ libera electione adhibentur, eorum alterum, quæ ex rerum conditione existunt, intelligitur, qui ex iis cum hominum naturas cognoscere, tum virtutis sapientiæque præcepta comparare cupiat, nihil ei antiquius esse oportere, quam ut alterum genus ab altero prudenter discernat. Sæpius enim rerum status facit, ut cum omnium approbatione eam rei conficiendæ rationem adhibeamus, quam, si integra fuisset optio et potestas eligendi, non potuissemus sine reprehensione adhibere. Contra haud raro usu evenit, ut, quod consilium, re adhuc integra, recte sapienterque iniissemus, idem, mutato rerum statu, perniciosum stultumque existimari debeat.

Quæ cum ita sint, videte, quid consequatur. Etsi enim plerarumque rerum eam esse rationem fateor, ut ambigi non possit, utrum illi, qui eas gesserint, suo ipsi iudicio voluntatique paruerint, an vero consilia sua ad eam, in qua versabantur, rerum conditionem composuerint; interdum tamen hæc diversissima consiliorum genera, *sive per simulationem sive casu aliquo*, ita permista sunt inter se atque confusa, ut perdifficiliter internoscantur. Et simulationis quidem causa in hominum est potissimum superbiâ posita, qui, cum omnia præclara sibi libenter vindicent, eorum contraria aliis impudent, eam sæpe calliditatem adhibent, ut si quid

recte ac prospere gestum sit, id continuo sibi, tamquam manus injectione, asserant, sin vero quid offensum titubatunquē sit, id rerum conditioni necessitatique assignent. *Casu* autem incredibile dictu est, quam sæpe fieri possit, ut quid cupiam aut laudi aut vitio detur, cujus laudis vitiique aut nulla omnino aut exigua tantum ad eum pars pertineat. Etiam si enim rei susceptio minime ex rerum statu et opportunitate pendeat, sed prorsus voluntaria esse videatur; quid tandem, si, qui aliquid agat, non suo is animi iudicio, sed aliorum hortatu, admonitione, significatione, ad agendum sit adductus? Ut enim levissima sint momenta, quibus impellamur, tamen, dummodo tantum valeant, ut, nisi illa accedant, nunquam fortasse animus inclinet, necessario efficitur, ut, quanta ab illis fiat accessio, tanta de laude atque de vituperatione decessio. A parvis autem tenuibusque initiis quantæ interdum res quamque insignes nascantur, e Newtoni exemplo intelligi potest, magni præsertim ac pene divini viri, quem accepimus, cum de arbore decidens malum animadvertisset, eo casu admonitum, stellarum cursus, motus, ambitus, descriptiones, omnium primum accuratissime consignasse.

Quæ quidem a nobis ita disputata sunt, ut intelligatur, quibus locis, cum de hominum moribus eorumque rebus imitandis fugiendisve quærat, ipsius historici desideretur admonitio. Cum enim ex

rebus gestis nec cujusquam mores cognosci, nec earum honestas aut turpitudine, prudentia aut imprudentia ei tribui imputarique possint, nisi *sciens atque volens* gesserit; cumque alia sit arbitrii voluntatisque species, quæ rerum conditionem *antecedat*, alia, quæ eam *consequatur*; in hac autem diversissimarum rerum distinctione positum sit omne de hominibus eorumque rebus recte judicandi præsidium; sequitur, *ab ipso scriptore eam, de qua loquimur, historiæ pragmaticæ utilitatem diserta admonitione adjuvari debere, ubi metuendum sit, ne lectores, fallaci rerum specie decepti, aut a libero animi iudicio profecta putent, quæ sint ipsi rerum status tribuenda, aut huic ea adsignent, quorum voluntaria fuerit ac nulla conditione circumscripta optio.*

Huic autem, de qua adhuc locuti sumus, partitioni subjectæ sunt reliquæ, de quibus est eadem præceptio. Ut enim, etiamsi in eligendo nulla prorsus conditione adstricti videamur, tamen, cum variarum rerum optio datur, non semper omnium est æque integra electio, ita, quamvis ad rerum statum sit moderanda voluntas, aliarum tamen rerum liberior est, quam ceterarum, electio. Itaque nec de illa solutiori ratione omnis est sublata necessitas, neque hæc constrictior omni arbitrio libertatique interitum affert. Ex quo rursus sequitur, quod paulo ante posui, tum opus esse ipsius scriptoris diserta admonitione, *cum periculum sit, ne in errorem lec-*

tores inducantur, aut ea prorsus arbitrio electa existimantes, quæ non ex omni parte voluntaria erant, aut ea omnino necessaria putantes, in quorum electione magna fortasse iudicii arbitriique pars erat relicta.

Declaratum satis arbitror, quid sit, quod initio diximus, tres illas partes, in quas quamque rem distribuimus, *susceptionem, perfectionem, perficiendique instrumenta*, si singulæ seorsum spectentur, unam habere atque communem ad fallendum speciem. Neque vereor, ne non universum argumentum, sed tantum aliquam ejus partem hac disputatione complexus esse videar. Cum enim in quaere gesta duo quæri soleant, alterum *quid gestum sit*, alterum, *quo animo et voluntate*: quorum illud philosophi *materiam*, hoc, *formam* appellant: materiam quidem trifariam partitus sum, formæ autem bipartita fuit divisio, prout voluntas rerum conditionem aut anteeat, aut consequatur.

Sequitur, ut de trium earum partium, quas in singulis rebus gestis spectandas esse diximus, *mutua inter se conjunctione* dicamus. Est enim conjunctionis ea sæpe vis et efficacitas, ut, quæ singula placeant displiceantve, de iis prorsus aliter sentiendum videatur, cum ponantur juxta sese. Ut enim ista viola, antequam e calyce hæc rosa emersisset, mirifice me delectabat, nunc autem hujus rubore obrui et obscurari videtur, ita omnium rerum et laus et

dedecus aut augeri comparatione aut elevari solet. Quod etsi summæ sæpe iniquitatis est: ut in his ipsis, quos commemoravi, floribus: fieri tamen rectissime interdum potest, ut rerum laudes et vitia non per se spectentur, sed aliarum rerum laudibus vitiisve censeantur.

Quod si ex me quæritis, ad quam ego normam in hac re iudicium meum dirigere soleam, hoc unum maxime mihi observari et animadverti debere videtur, *quæ sit rerum aut cognatio, aut se junctio, aut omnino necessitudo*. Ut enim ex naturali rerum affinitate quædam virtutum vitiorumque communitas gignitur, ita quæ separata disjunctaque sunt naturâ, nullam inter se laudis vituperationisque societatem habent. Quod, quoniam vobis perspicuum esse arbitror, videamus quomodo in præsentem disputationem cadat.

Earum partium, ex quibus quamque rem gestam constare dixi, duplex potest fieri conjunctio, ut, aut susceptionem et exitum, aut cum utroque instrumenta copulemus, quibus quidque sit confectum. Videte autem inter utramque conjunctionem quantum intersit. Ut enim a rei molitione ad instrumenta, atque ab his ad exitum, facilis est ac nullo impedimento interclusa via, ita instrumentorum interjectu a susceptione ad perfectionem intercepta est et obstructa progressio. Quo efficitur, ut neque rerum initia et exitus, quæ separavit quodammodo natura, temera

conjungi debeant, neque ab his disjungi instrumenta, quæ sunt illis interposita, et pari, ut ita dicam, cognatione utrumque attingunt.

Nescio autem, quo vulgari vitio et temeritate fit, ut crebro conturbetur hic ordo naturæ et prorsus invertatur. Solent enim homines id, quod in quaque re primum et extremum est, ita inter se mente et cogitatione nectere, quasi nihil sit medium quod utrumque contineat. Cumque, ut serræ, ut secures, ut cetera ferramenta ad ipsas ædes, postquam exstructæ sint, non amplius pertinent, ita reliquarum rerum instrumenta cum rebus ipsis, postquam confectæ sint, non amplius conjuncta esse videantur, eo labitur hominum temeritas, ut in judicando divellant ac distrahant ea, quæ arctissime vinxit copulavitque natura.

Ex quo emergit, duplex ea, quam commemoravi, conjunctio quale ab historico officium postulet. Et superior quidem illa conjunctio eam cautionem habet, ut ne quis

. . . . . *ab eventu facta notanda putet.*

Cum enim rerum perfectio non necessario ex earum susceptione apta sit atque nexa, sed ex instrumentorum prudenti et delectu et usu pendeat, sequitur, fieri recte non semper posse, ut rerum eventus, sive prosper sive infelix, sive salutaris sive calamitosus,

in ipsius consilii aut laudem aut vituperationem trahatur. Referti sunt annales exemplis eorum, quorum aut nefaria consilia saluberrimum exitum habuerint, aut optimarum rerum molitiones perniciem ipsis aliisque attulerint. Quod, sive fortunâ factum sit et fieri adhuc soleat, sive impedimentorum objectu, sive viæ et rationis illo delectu, qui ad rem non satis esset accommodatus, eo certe valere debet, ut permagno in errore illi existimandi sint versari, qui cum hominum naturas, sapientiam, stultitiam, virtutes, vitia explorare velint, semper rerum, quas illi gesserint, eventum, tamquam oraculum, consulendum esse putent. Quæ temeritas, cum, ut dixi, admodum sit vulgaris atque nobis, cum historiæ monumenta tractamus, invitus fere obrepat, sæpius accidat necesse est, ut, nisi nos scriptor admoneat, in iudicando labamur. In quo rursus ea est adhibenda cautio, ut perspicuitati ne obsit argumentatio. In multis enim rebus tam facile intelligitur, eventum ad spem voluntatemque non respondere, ut putida prorsus sit historici admonitio. Si autem quando incidat, quod sæpe incidere arbitror, ut, qui rei exitus præmeditatus videbatur, eum, accuratius causa perspecta, fortuitum esse appareat atque præter opinionem ejus, qui rem susceperit, tum ab ipso scriptore rei ratio aperietur. Haud enim scio an in omni hoc negotio nihil pejus perversiusque esse possit, quam

hominibus tribuere, quod sit aut fortunæ aut aliis causis assignandum.

Altera est conjunctio *instrumentorum cum rei susceptione et exitu*. Inter quam et superiorem illam id differt, quod, cum rerum eventus sæpius ab initiis deflectant, nec semper, quid fuerit suscipiendi consilium, declarant, instrumenta ad utramque rerum partem ita pertinent, ut a neutra divelli possint. Quod cum dico, forte quis vestrum ita mihi occurrat, ut multas res commemoret, quarum instrumenta et ad susceptionem prorsus essent inepta, et ad eventum nihil omnino conferrent; ex quo consequatur, fieri sæpe posse, ut cum rerum molitione et perfectione nulla sit instrumentorum conjunctio. Atqui animadvertenda duplex conjungendi ratio est, altera *consilii et voluntatis*, altera *ipsarum rerum*. Et in *rebus* quidem *ipsis* sæpe nulla est instrumentorum cum susceptione et exitu copulatio, siquidem *copulationis* voci eam vim tribuimus, ut instrumenta et ad susceptionem apta et accommodata sint, et id, quod quis intenderit, iis efficiatur. Sæpe enim et inepta adhiberi videmus, et, etiamsi aptissima sint, fieri tamen irrita. Sed quærimus hoc loco, quid fieri velit is, qui quidpiam molietur, non, quid fiat aut factum sit, in quo est permagna vis fortunæ. Loquimur enim de hominum moribus, de prudentia, imprudentia, de vitiis atque virtutibus, quæ



non sunt ex casu aliquo eventibusque fortuitis suspensa, sed in *consiliis voluntatibusque* cernuntur. Itaque instrumentis quid efficiatur, parum interest, modo illa ad rem susceptam perficiendam delecta esse recordemur et adhibita ab eo, cujus mores cognoscere velimus. Hæc est altera auxiliorum cum rei susceptione et exitu conjunctio, quam *mentis voluntatisque* esse dicebam.

Cum igitur rerum susceptio et perfectio instrumentorum vinculo contineantur, sequitur illas ex his ita pendere, ut, rectene an vitiose, sapienter an stulte, susceptum quid perfectumque sit, bene judicari non possit, antequam de ipsis instrumentis iudicatum fuerit. Quod cum dico, memineritis velim, nobis hoc loco non esse sermonem de eo bono et malo, quod a philosophis *physicum* nominatur, sed de virtute et vitio, de honestate et turpitudine, de stultitia et sapientia, quæ et ipsa virtus dici debet, cum, remota a justitia, calliditas potius quam sapientia sit appellanda. Itaque si dicam, quid sit paupertas, divitiæ, honores, ignominia, intelligi non posse, nisi, *qua via et ratione* illa nobis obtigerint, sciamus, absurde dicam. Hæc enim *per se* cognoscuntur, nec viæ ac rationis aut scientia aut ignorantia efficit, ut aut melius aut minus bene cognoscantur. Si autem, quid recte, quid prave, quid prudenter, quid stulte, fiat factumve sit quæritur, istud quo dijudicari bene possit, instrumentorum

est habenda ratio. Cum enim, nisi ad id quod agatur præsidiorum facultas suppetat, neque suscipi quicquam neque perfici possit, efficitur, quicquid in rerum molitione et exitu aut laudabile sit aut vitiosum, id omne ita nostrum esse, nobisque assignari debere, si instrumenta a nobis ipsis reperta fuerint atque adhibita. Qui enim fieri aliquid velit, quod per instrumentorum penuriam fieri non posse sciat, is eam rem non suscipiat sed somniet. Etiam si autem evaserit aliquando, quod somniaverit, absque eo ut aut instrumenta omnino, aut ea certe, quæ ad rem efficiendam apta essent, adhibuerit, quis tam omnium rerum imperitus, qui somnianti et non potius fortunæ aliisve causis rei eventum tribuat? Contra, si instrumentis aut prorsus nihil, aut certe non illud efficiatur, quod is, qui iis utatur, spectet, tamen, modo sciamus qua ille via et ratione id, quod velit, aggrediatur, perfacile sit de ejus moribus, consilio, voluntate, judicium. Ex quo apparet, cur rei susceptæ perfectæque aut laus aut vituperatio non ad instrumenta, sed horum ad illam, transferri debeat. Pauperum elevare inopiam bonum videatur; atqui si fiat pecuniâ, quam aliis debeas, nihil ista liberalitate perversius esse possit.

Hinc intelligitur, is quid facere debeat, qui historiæ descriptionem ad legentium utilitatem referre velit. Sæpe enim fit, ut homines in una rerum susceptione et exitu mentis oculos defigentes, instru-

menta nec videant nec ullam eorum rationem habeant. Quod fieri tum præsertim solet, cum id, quod suscipiatur perficiaturque, adeo eos advertat atque sive in bonam sive in malam partem insigne sit, ut ea magnitudine instrumenta obruantur. Isti igitur sive rei eventum cum ejus susceptione copulent, sive harum partium alterutram tantum intueantur, cum æque atque illi, quos paulo ante reprehendi, ea negligant, e quibus maxime eluceat, quid de hominibus eorumque rebus sit judicandum, utrorumque simili levitati similis est adhibenda curatio. Horum perversitati cognatus est error eorum, qui cum maxime quâ viâ et ratione quidque confectum sit animadvertant, ita omnia conturbant, ut nisi admonentur a scriptore, non res gestas instrumentis sed hæc illis judicent atque metiantur. In quo illud maxime capitale est, quod, ut res gesta aut luerum aliquod aut detrimentum apportaverit, ita continuo, quibus illa confecta est, instrumenta, honesta aut turpia, sapienter aut imperite excogitata et adhibita existimantur. Quæ si vera est sententia, quæ possunt esse patriæ proditiones, quæ urbium direptiones, quæ tectorum incendia, quæ parrieidia, quæ immanitas, quæ denique flagitia tam tetra tamque nefaria, quibus non aliquando virtutis nomen impertiri debeat?

His igitur locis, in quibus facile errari et potest et solet, opus est historici prudentiâ, qui nos pri

num doceat ex rebus gestis non posse hominum virtutes, vitia, mores intelligi, nisi ad viam et rationem attendamus, qua id quod voluerint, aut consecuti sint aut consequi sint conati. Deinde in delectu viæ et rationis, quam sæpe *instrumentorum* non satis apto vocabulo appellavimus, ita hominum studia, voluntates, ingenia apparere, ut non a rebus ipsis, sed ab instrumentis, quæ ad illas perficiendas adhibita sint, omne iudicium manare debeat. Denique si quando inciderit, ut aliqua res insignem in utramcunque partem eventum habeat, tum imprimis, quo pestilentissimus error præcaveatur, id aget historicus, ut diserta admonitione hominum mentes a rei exitu avocet easque ad viæ rationisque, qua illa perfecta sit, contemplationem converiat. Neque enim laudandum quicquam est, quod cum vitio fiat, etiamsi Croesi thesauros afferat, neque vituperandum, quod cum virtute, quamvis concidat omne coelum omnisque terra.

Satis igitur, nisi fallor, hoc sermone a me explicitum est, quare, quibusque scriptionis suæ locis, auctorem oporteat diserta sententiæ suæ declaratione eam historiæ pragmaticæ utilitatem adjuvare, quæ partim in cognoscendis hominum moribus, partim in colligendis sapientiæ virtutisque præceptis, cernatur. Vereor autem ut in his acquiescatis, cum fortasse hoc etiam a me expectetis, ut declarem, sitne historici, postquam, quid sit recte, quid præ-

ve, quid sapienter, quid stulte factum, exposuerit, ita quoque legentium utilitati inservire, *ut eos ad earumdem rerum aut fugam aut studium æmulationemque incitet?* Equidem, ut dicam, quod sentio, ut istam sedulitatem non prorsus asperner, ita non magnopere desiderem. Qui enim virtutem et vitium, sapientiam et stultitiam tamquam in scena spectat, ita autem abjectus atque perditus est, ut eorum adspectu aut neutram in partem moveatur, aut etiam, quæ recta sint, iis prava anteponat, ejus est, medius fidius, desperanda salus. De humano autem genere ita me bene existimare fateor, ut omnium animis et nequitiae odium et igniculos seminaque virtutum ab ipsâ esse naturâ ingenerata putem. Cujus beneficii, divinitus in nos collati, hoc esse magno argumento debet, quod frigere solemus ad orationem eorum, qui, cum in quapiam re quid laudandum vituperandumve sit, ostenderint, tum eam sic animis nostris admovent, ut aut ad ejusdem nos rei studium hortentur, aut avocent ab ea et deterreant. Quorum vocem promptius profecto et alacrius exaudiremus, nisi supervacaneam existimarem admonitionem humanam, cum mentibus nostris insitam haberemus atque insculptam legem divinam. Neque illud prætermittendum est, quod in historia tanta est rerum multitudo et varietas, ut si quis auctor quavis descriptionis suæ parte, quid expetendum quid fugiendum sit, lectores edo-

cere voluerit, is potius Orationes Sacras habiturus, quam res gestas narraturus, videatur.

Quamquam igitur non placet, ut infantibus mamas, sic legentibus sapientiæ virtutisque præcepta admovere, tamen, ne huic admonitionis generi omnino bellum indixisse videar, hanc interdum ab historico prudentiam postulem, ut salutarem illum motum, quem nobis insitum atque innatum dixi, regat ac moderetur. Cum enim historia tantam nationum, institutorum, morum, varietatem complectatur, ut sæpe, quod in alia gente honestum ac laudabile ducatur, idem in alia turpe et ignominiosum sit, magna cum in aliorum virtutibus imitandis tum in vitiis fugiendis, adhibenda prudentia est. Quamvis enim una omnium et communis naturæ lex est, ad quam non facti sed nati, non instituti sed imbuti sumus, tamen non tantum omnes gentes ei legi eodem modo non parent, verum etiam aliæ sic sæpe obtemperant, ut aliis fere peccare videantur. Similiter in iudicanda aliorum aut sapientia aut stultitia animadvertenda est nationum varietas. Cum enim ea sit vis sapientiæ, ut, quæ optima sint, optima ratione consequi studeat, de eo autem ipso, quid sit *optimum*, non una semper omnium populorum vox sit atque sententia, haud raro accidat necesse est, ut, quod ad aliorum mores sapienter factum videatur, id si ad nostros referatur, insaniam notam subeat.

Quamobrem ad historici munus illud imprimis pertinere arbitror, ut doceat interdum quæ sit earum rerum, quas narret, cum nostris moribus, institutis, temporibus conjunctio, quæ discrepantia. Quod ut ad animi agnitionem jucundum est, ita uberimum ad virtutis sapientiæque fructum. Quemadmodum enim excordem quemdam hominem accepimus, cum Abrahami vellet virtutem assequi, filii sui sanguine manus cruentasse, sic multorum ea est perversitas, ut non in animi virtute, sed in facti similitudine, imitationis laudem ponant. Quo eos errore liberaverit historicus, si monuerit, quamvis ipsa virtus stabilis sit atque constans et semper eadem, ejus tamen, quasi corporis, apud varias gentes varium esse habitum, cultum, vestitum, ornatum. Quo illud consequetur, ut non tantum *quid* expectandum fugiendumve sit, doceat, verum etiam, quod in omnibus rebus videndum est, *quatenus*. Qui enim, quid aut moribus nostris consentaneum aut ab iis alienum sit, docet, is tacitus significare videtur, quid fieri a nobis quid caveri velit. Quæ quidem obscurior virtutis sapientiæque prædicatio, nescio quomodo, pronius in animos nostros influit atque multo majorem vim habet, quam oratio eorum, qui cum hebetiores nos existiment, quam ut ipsi aut boni rectique pulcritudine aut pravi nequitiaque deformitate moveamur, ubique quid facere quid fugere debeamus, præcipiunt vel etiam inculcant.

Itaque in hac quoque historiae pragmaticae parte eam scriptor consuetudinem sequatur, quam in omni hoc sermone crebro laudavi, ut, quae aperta sint, lectorum iudicio relinquat, ne admonendi importunitate eos obtundere magis quam docere videatur. Sin vero eorum, quae narret, ea forte sit ratio, ut cum aut probanda aut reprehendenda sint, tamen, si ad nostros mores ac tempora referantur, neque haec omnino fugere necesse sit, neque illa prorsus sine vitio imitari possimus, tum, ne quid erroris suscipiatur, ab historico notanda est rerum, gentium, institutorum diversitas. Quo facto, ab ulteriori admonitione absteineat, lectores sua sponte et voluntate facturos existimans, quod Herculem fecisse accepimus, qui, cum exisset in solitudinem, atque duas cerneret vias, unam voluptatis, alteram virtutis, illa spreta, hanc ingressus sit.

Habetis meam de historiae scriptione sententiam, quam non temere alicunde arripui, sed ex assidua cum aliorum tum Polybii nostri lectione collegi. Quoad enim meminisse possum, nihil est in omni hoc sermone a me positum, quod non et ex gravissimorum libris historicorum hauserim, et eorum exemplis declarari confirmarique possit. Nolui autem disputationem, quam longiorem fore quam pro nostra consuetudine videbam, exemplorum frequentiam referre, quamquam, si quaeratis, praesto sunt. Quo magis autem ab exemplorum commemoratione



abstinerem, hoc etiam in causa erat, quod Viri Eruditi, ad quorum consilium hunc sermonem dirigere volebam, non quid ab historicis, vel optimis, factum sit, sed quid fieri oporteret, quærere videbantur. Neque cum meam de historiæ scriptione sententiam ex Polybii ceterorumque lectione me collegisse dico, hoc ita intelligi volo, quasi apud me sine ratione valeat auctoritas. Sed cum animadvertissem, qualis fuerit eorum, qui optimi haberentur, mos et consuetudo, tum, quoad ejus fieri a me potuit, illorum scriptionem ad rectæ rationis tamquam normam exegi, atque ita probavi, ut probaturus etiam fuisset, quamvis nemo quisquam eam scribendi rationem adhibuisset. Neque, cum de pragmatica historiæ scriptione agitur, mirari quisquam debet, si veteres Auctores recentiorum plerisque antepono. Cum enim illi, ut Xenophon, ut Polybius, ut Cæsar, in sole atque pulvere essent versati, iisque rebus, quas memoriæ prodiderunt, et interfuissent plerumque et præfuissent, qui autem nostra consuetudine eruditi habentur, in bibliothecarum umbraculis delitescant, neque in sago neque in toga foras prodire soleant, tantum mihi inter utrosque interesse videtur, quantum inter Punicum illum Hannibalem et Phormionem sophistam. Neque hoc ita dico, quasi de nostrorum hominum laudibus detrahere velim; quorum cum multi sint summis præditi ingeniis excellentissimâque doctrinâ, nihil causæ video, cur

non, si eadem illis, quæ veteribus, obtigisset fortuna, horum quoque præstantiam assequi potuissent.

Vos igitur, optimi adolescentes, nec nostros contemnite, et veteres legite, quæso, studiose, ut facitis. Nolite putare, historiã quicquam esse aut ad cognitionem pulcrius, aut ad doctrinam uberius, aut ad vitæ actionem utilius. Quamobrem sic eam cogitatione, mente, memoriã complectimini, ut vitæ magistram ac testem veritatis. Et quandoquidem immortalis ille Deus, cujus nutu et imperio omnia geruntur, humanarum quoque rerum gubernacula, tamquam in puppi sedens, tenet, ita historiæ studium ad pietatis fructum convertitote, ut hunc mundi moderatorem, qui præsentiam suam mirabilibus sæpe factis declarat, sancta et casta mente colatis,

ORATIO,  
DE  
HISTORIAE DOCTORE, PROVIDENTIAE  
DIVINAE ADMINISTRO,

ON THE

BY

WILLIAM DOUGLASS BRIDGES

PH.D. UNIVERSITY OF CHICAGO



# ORATIO

DE

HISTORIÆ DOCTORE, PROVIDENTIÆ  
DIVINÆ ADMINISTRO.

---

QUANDOQUIDEM eorum, quibus publice verba facienda sunt, communis quidam est et hominum iudicio comprobatus mos, ut, cum aggrediuntur ad dicendum, animo commoveri se ac perturbari confiteantur, ego si ab eadem confessione dicendi exordium ducam, erunt fortasse, quibus simulate potius et ex veteri illo usitatoque more, quam vere et ex animi sententia, ita facere videar. Quam ego simulationis suspicionem ut effugerem, eo propemodum adductus eram, Auditores, ut statim orationis vela pandere, et in mediam rem me conijcere satius ducerem, quam, cum metus testificatione, eam remis propellere. Et vero ita fecissem, nisi ab isto consilio avocasset me et abduxisset cogitatio, fore ut audax meum et insolens negotium in eorum, quos plurimi facerem, quorumque iudicium maxime extimescerem, reprehensionem incurreret. Illud etiam intelligebam, linguam si continerem, nec, quid mihi animi esset, eloqui sinerem, ipsum vul-

tum vocisque hæsitantiam pro lingua fore, quæ apertius, quam verbis fieri posset, animi perturbationem patefaceret. Loci enim cogitatio si quid ad commovendum valere potest, in Minervæ Leidensis æde dicimus, cujus dignitas ac majestas, si columnis marmoreis, si ære Corinthio, si porticu pavimentata, si iis denique rebus censeatur, quibus apud antiquas nationes Deorum immortalium templa instructa et exornata fuerunt, nulla omnino sit. Sin vero hoc nobis naturâ datum est, ut, quum ea loca videamus, in quibus memoriâ dignos viros acceperimus multum esse versatos, representemus absentes, quosque oculorum sensu non percipiamus, eos cogitatione ac mente ita complectamur, ut in conspectu nostro positi esse videantur; ita mehercule sentio, qui hoc templum, ornamentis vacuum, ingressus non vehementius moveatur, quam si ipsam Minervæ formam, a clarissimo factam artifice, conspiceret, eum e robore sculptum esse oportere, aut e saxo dolatum, duriori illo, quam ipsum illud ebur, ex quo Minervæ simulacrum confecit Phidias. Sed hæc animi commotio, quam ipse locus affert, si communis mihi est cum multis aliis, qui in nobilissimum hunc et illustrissimum suggestum aliquando adscenderunt, illa mihi propria est ac præcipua perturbatio, quæ a muneris, quod suscipiendum mihi ac sustinendum est, magnitudine proficitur. Quod cum dico, nolite putare, Auditores,

eorum me probare iniquitatem, quibus præter artem suam ut nihil pulcrum, nihil præclarum, nihil in vita magnopere expetendum, sic nihil difficile, nihil laboriosum videatur. A quibus ego tantopere dissentio, ut si bonarum artium Professoribus certamen eloquentiæ esset ineundum, ea quidem lege et conditione, ut in disciplinæ suæ et præstantia prædicanda, et difficultate explicanda suas singuli orationes consumerent, omnes disertos fore et æquo Marte contenturos esse, arbitrer. Sed si officii, quod nobis imponatur, onus non sua tantum gravitate ponderandum est, sed etiam expendi quodammodo et aestimari debet auctoritate eorum, in quorum locum sufficiamur, quique illud cum summa hominum et approbatione et admiratione pertulerint, eum profecto necesse est in maximarum rerum ignoratione versari, qui nesciat, id, quod hodierno die suscipiam, munus, tamquam coelum, Atlantis alicujus humeros postulare, ut non usu solum ac periclitatione, sed metu etiam ac præmeditatione frangi me et debilitari oporteat. Etenim si ipsum Ciceronem accepimus, pro Milone dicturum, cum, præter fori consuetudinem, armatorum manu cinctus esset ac stipatus judicum consessus, perterritum hac nova judicii forma ac vehementer conturbatum fuisse, me tandem quo animo esse putatis, qui, cum non Milonis alicujus vita, sed mea ipsius ingenii existimatio tuenda mihi sit, non gregariorum militum turbâ, sed mortuorum, eorundemque cla-

rissimorum virorum coronâ ac frequentîâ septum me ac circumfusum video? Oculis enim intueri, non animo meo recordari, illa ornamenta patriæ, illa firmamenta literarum videor, quorum tantum est tamque illustre nomen, ut, si qua hominum natio sit tam inaccessa, quo illorum fama non pervenerit, huic ego genti in aeternum fatale esse arbitrer, ut, quibus finibus regio ipsorum terminetur, iisdem excludatur ac propulsetur humanitas. Hæc de mortuis et absentibus, quid de vivis ac præsentibus? Mihi si in dicendo eorum tantum ratio esset habenda, qui ex hoc doctissimorum hominum numero literarum studia ita colebant, ut omnem in iis operam suam omnemque laborem ponerent, his totos dederent se, nec quicquam præterea agerent, permagna esset eorum, qui judicare possent, paucitas. Si autem Batavorum hominum hæc vetus est et adhuc constanter ab iis retenta laus, ut quamcunque disciplinam quis sibi deligat, in qua vitæ suæ quasi tabernaculum collocet, eam nisi literis ornetur ac veluti pascatur, nudam esse ac succo et sanguine carere censeat; illud intelligitis, qui in hoc bonarum artium domicilio de ea sit arte dicturus, quam communi studio cuncti colamus, ei, quot auditores habeat, tot fere peritissimorum iudicum vocem severitatemque esse pertimescendam. Et hoc etiam eorum, qui literarum scientiam profitentur, iniquior est, quam ceterorum, conditio, quod aliis, si in oratione forte la-



bantur, propter reliquæ præstantiam doctrinæ facile ignoscere solemus; qui autem literarum magistri esse volunt, iis, simulac dicere exordiuntur, insidias facimus, quibus illos si aliquando captos et circumventos teneamus, tum demum pulcri nobis ac beati esse videamur. Quarum rerum cogitatio si eam vim habet, Auditores, ut vel eruditissimi cujusque et eloquentissimi oratoris et animum debilitare et vocem præcludere debeat, me tandem quantopere iudicii vestri expectatione angi et torqueri oportet, qui exigua ingenii facultate, mediocri autem dicendi exercitatione, in hanc concionem adscenderim, non ut apud rusticos de philosophia, sed ut de literis apud literatos dicam. Quod si quantus literarum amor, tanta mihi scientia esset, non prorsus mihi diffiderem. Nunc autem quando in humanitate vestra omnis mihi ita reposita spes est, ut ad eam unam, tamquam reus ad aram, confugiam, primum per ipsam hanc, quam videtis, ætatem obsecro vos et obtestor, ut, quæ in hoc muneris mei tamquam vestibulo dicturus sim, ea non re et maturitate, sed spe et expectatione metiamini. Quemadmodum enim Solonem Pisistrato tyranno quærenti, qua tandem spe fretus sibi tam audaciter obsisteret, respondisse tradunt: senectute: sic ego, cum mihi res gerenda sit, quæ virum requirat, juventutis commendatione nixus, ad vestræ me lenitatis sinum ac præsidium conféro. Tum, ne adolescentiæ tempus ita mihi integrum et illibatum fuisse

putetis, ut omnem illam ætatem in literarum studiis collocare et consumere mihi licuerit, per decem annos alia eaque gravissima disciplina vitæ florem non quidem prorsus depavit, sed magnam tamen succi viriditatisque partem absumsit. Regnante Ludovico Lector fui Theologiæ, satis æqua et tolerabili conditione, quæ tamen, si quid in me erat ingenii, si quid virium ac nervorum, id omne, quantumcumque erat, ut improbus ille apud Phædrum leo, sibi uni assereret. Tum rerum potitus est nefarius ille et impurus de Corsica gladiator, cujus furor studiis nostris, fortunis, bonis, cervicibus denique imminebat. Vobis quid acciderit, meministis, collegæ: ego factus sum Professor Adjunctus, bombycina veste indutus, omnibus autem vitæ ornamentis ita penitus exutus, ut, quamvis in literis magnum adversus fortunæ tela præsidium sit, tamen, cum istud mihi injuriæ onus esset sustinendum, ex his rerum perturbatarum fluctibus ad animi studiorumque tranquillitatem emergere non potuerim. Non ego sum nescius, cum talia tempora inciderint, iniquum esse, aut propriam ac præcipuam fortunam postulare, aut recusare communem; meus autem et singularis fuit ac societatis expers casus, et tam gravis tamque asper, ut, si mihi acerbissimi temporis memoria oratione sit replicanda, diem, vocem, latera, me deficiant. Quid reliqua persequar? Exarsimus aliquando ad libertatis recuperandæ cupiditatem:

erepta ex belluæ faucibus respublica est: redit in patriam, Batavorum humeris latus, optimus et illustrissimus Princeps, qui nunc humeris ipse suis populi Batavi salutem dignitatemque sustinet. ô Admirabilem illam et sempiterni temporis prædicatione dignam rerum conversionem, quæ non labantes fulsit, sed prostratos erexit, non ægrotis salutem, sed mortuis vitam attulit! Quod si nullus hominum ordo fuit, quin, optatissimo nuncio accepto, incredibili gaudio perfusus sit, ipsas Musas solito lætiores choros egisse arbitror, cum Vos primum, Vos inquam, Clarissimi Viri, qui illarum sacerdotes estis, more majorum ac tanto munere digne, ad sanctissimum suum religiosissimumque altare rursus accedere viderent. Ego etiam cum ex publicæ salutis recuperatione illum, quem magnopere expetieram, fructum tulissem, magna me spes tenebat, eum tandem illuxisse diem, cum, si quid temporis e necessariis occupationibus eripere possem, id omne in eas literas, quibus semper delectatus sum, impendere mihi liceret. Quid quæritis? vixdum res publica restituta est, cum domesticâ clade fractus acerbissimâ ægritudine elidor, quo meo casu ita oppressa mens est, atque esede sua ac statu dimota, ut quarum literarum studio magna luctûs pars levaret et abstergi potuerat, earum amor etiam restinctus atque penitus ex animo evulsus videretur.

Pluribus verbis dixi de me, Auditores, quam consuetudo mea fert. Quod quamquam invitus feci, atque vereor ut omnibus satis placeat, tamen tanti mihi est, a nonnullis vestrum reprehendi, dummodo præfatione mea eorum, quibus plurimum tribuo, lenita aliquantum ac mitigata sit severitas. Et ne quis forte me callidum hominem esse putet, qui orationem, reconditâ et exquisitâ doctrinâ refertam, simulationis involucro et quasi velo obtendam, quo magis illi, qui audient, admirentur, si ingenii mei nec opinatam præstantiam perspexerint, istud artificium in Ulysses aliquem cadat, a mea quidem et animi simplicitate et doctrinæ mediocritate quam alienum illud quamque longe remotum sit, ipsa oratio declarabit. Etenim cum primum hæc mihi provincia Regis voluntate honorificentissime delata esset, ut in hac amplissima bonarum artium sede literarum studia pro virili parte adjuvarem, nihil antiquius habui, Auditores, quam ut utriusque muneris, et ejus, quod deponendum mihi, et hujus, quod suscipiendum esset, justa contentione facta, in singulis eequod præsidium inesset emolumentumque virtutis, accurate perpenderem. Quibus enim literis ali ingenia et ad humanitatem vitæque elegantiam informari soleant, eas nisi item comperissem justitiæ, temperantiæ, prudentiæ, omnium denique virtutum, magistras ac præceptrices esse, moriar, si conditionem

accepissem. Quamquam qualis tandem ista humanitas, quæ humanitate careat, iisque orba sit virtutibus, quibus homines ceteris animantibus maxime præstant, quibus nomen suum ac dignitatem tuentur, quibus divino quodam satu genitos se esse atque in lucem editos declarant, quibus denique ut maxime quisque excellat, ita ad cœlestium vitam proxime accedere judicatur? Et mihi quidem cum universus literarum tamquam ager et natura perbonus, et cultura fructuosissimus esse videtur, ut nullam partem habeat, ex qua non germinet aliquid et efflorescat viriditatis, quæ frugem fundat, tum eorum etiam fructuum, qui ex Historiæ studio et quasi cultu percipiuntur, singularis quædam est ad animi pastum suavitas atque magna præstantia. Si enim reliquarum partium, quibus humanitatis studia continentur, disciplinâ ac perceptione mores mitescunt, et ad omne virtutis genus excoluntur; et hujus laudis particeps est Historia, et hæc ejus egregia est atque excellens utilitas, quod una omnium maxime pietate, sanctitate, religione, hominum animos imbuere videtur. Cum enim cultum, cum honores, cum preces Deo immortalis ita adhibeamus, si ille rebus nostris intersit ac præsit easque moderetur, hanc divinam humanarum rerum procurationem ita non significat sed declarat Historia, ut ipsi pæne Ciceroni succenseam, quod, cum eam testem temporum, lucem veritatis appellasset,

ceterisque amplissimis verbis ornasset, non hunc etiam laudis cumulum adjecerit, ut Historiam nuntiam diceret et interpretem curæ, consilii, voluntatis divinæ. Multo melius, ut mihi videtur, Diodorus Siculus, qui in libri sui exordio præclaram hanc atque gravissimam sententiam posuit, *Historicos esse Providentiæ divinæ ministros*. Cum enim et Historia requirat, qui ipsam posteritati propagent, et litterarum monumenta, quibus res, omni memoria gestæ, perscriptæ et consignatæ sunt, explanatoris vocem ac lucem desiderent, intelligitis Auditores, nullam esse Historiæ laudem, in cujus societatem non veniat is, qui ab oblivione ipsam atque a silentio vindicet. Et Diodorus quidem suo more, et ad rationem suam accommodate: nos, qui hanc ipsam nobis ad dicendum materiam sumsimus, paulo liberius et nostro omnino arbitrato in hoc argumento versari constituimus. Dicam igitur de *Historiæ doctore, Providentiæ divinæ ministro*: quod cum faciam, adestote omnes animis, qui adestis corporibus, meamque et ingenii et dicendi mediocritatem benevolentia vestra et attentione sublevate.

Primum in omni oratione mea hoc velim sciatis, Auditores, loqui me, quamquam non unice, præcipue tamen, de *Historia Universa*, quæ cunctum genus humanum, uno quodam societatis vinculo junctum copulatumque, complectatur. Si enim, quibus montibus fluminibusque singulas regiones ter-

minasset ac circumdedisset natura, iisdem homines, qui eas incolerent, continuissent se semper, nec ulla cum ceteris nationibus jura, nulla commercia, nullam denique conjunctionem sibi intercedere voluissent, singulorum populorum historia esse posset, universi generis humani non posset. Quamquam igitur, ut aedificii, quod fundamenti firmitate careat, nulla stabilitas est, sic Historiæ nulla accurata cognitio, nisi, quæ ab antiquis scriptoribus de vetustissimo Assyriorum, Aegyptiorum, Phoenicum, aliarumque nationum statu memoriæ prodita sint, ea bene percepta animo atque comprehensa habeamus; tamen Historiæ Universæ, quam quærimus, tamquam auctor et stator et architectus demum fuit Cyrus, is de quo suavissimus est liber Xenophontis. Ille enim, cum, devictis Medis, Babylonis, Lydis, totam Asiam inde a mari Interno usque ad Oxum et Indum flumina sub unum Persarum imperium ditionemque subjunxisset, primus, ut ita dixerim, humani generis membra, quæ sparsa adhuc et dissipatajacerant, in unum corpus colligere et coagmen- tare coepit. Et ne in antiquis tantum rebus versetur oratio mea, ne Sinensibus quidem, quorum adhuc stat imperium, aliquis in Universa Historia locus esse potest. Qui quidem a reliquorum hominum consociatione et communitate ita disjunxerunt se atque segregarunt, ut non magis regionem suam muro lateritio adversus Tartarorum catervas vallasse, quam

animos suos generis humani odio adversus ipsam humanitatem armasse videantur. Quid alias gentes, immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, commemorem, quibus, si in Universa populorum Historia aliquo loco ac numero esse volunt, exeundum e silvis est: sin vero cohibent se, atque ex ista feritate ad cultioris vitæ mansuetudinem conjunctionemque humanam traduci recusant, fieri nec potest nec debet, ut quibus nulla cum ceteris nationibus necessitudo, nulla societas et communicatio utilitatum sit, ii in nationum historiam, tamquam in communem generis humani scenam, prodeant.

Nos autem cum Historicum appellamus providentiæ divinæ administrum, hoc dicimus, Auditores, et esse Dei immortalis providentiam, et qualis illa sit, et quid agat, quibusque legibus et institutis regat genus humanum atque temperet, hæc omnia ab Historiæ doctore optime et manifestissime declarari. Si enim neque otiosus et iners est Deus: ut olim, ex hara repens, clamabat Gargettius Epicurus: et coli vult ab hominibus atque religiose suspici; nullum autem cultum ipsius numini adhibere possumus, nisi consuli ab eo rebus humanis ac provideri intelligamus; illud profecto perspicuum est, qui tantæ rei cognitionem humano generi impertiat, illum jure et merito administrum dici ac veluti præconem providentiæ divinæ. Quo nomine, honoris atque dignitatis plenissimo, cum ornandos



esse Historiæ magistros censemus, ecquis hominum tam hebes est, tamque omnium rerum ignarus, qui in hoc argumento non disertus et copiosus esse possit? Replicatote annalium memoriam, atque sæculorum cursum cogitatione persequimini; nullus in universo Historiæ campo locus est, ubi is, cujus nutu et imperio omnia geruntur, non vestigium posuerit, nec monumentum sui voluerit exstare. Ego autem non exemplorum multitudine obruam vos, sed levabo, Auditores, neque tam peto a vobis, ut hujus rei argumenta pleraque omnia prætermittere mihi liceat, quam potius, si vel paucissima commemoravero, ne loquax vobis videar. Vos igitur ab ipso illo amplissimo et illustrissimo rerum, omni memoria gestarum, spectaculo, quam Historiam appellamus, mentis oculos parumper avertite, atque hoc unum cum animis vestris considerate, quid aut quale sit homo atque genus humanum, quamque sibi materiam subjectam habeat Historia: Non enim, ut eloquatur, quæ dudum sciamus, huc arcessam illam vetustatis nuntiam, sed ut, quam clare quantaque vocis contentione eloquatur, ex ipsius natura colligi atque cognosci possit.

Primum igitur cogitate, quale sit animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii, quem vocamus hominem. Magnum sane providentiæ divinæ theatrum est hæc rerum universitas, in qua tam omnia inter se connexa

et apta sunt, ut quanto hæc consilio gerantur, nullo consilio assequi possimus. Et tamen sunt philosophi et fuerunt, qui nullam esse mentem divinam, nullam rationem, nullam vim, omnium rerum dominam ac moderatricem, censerent. Cum enim hoc cælum suspexissent, stellarumque, quibus illud ornatum ac distinctum est, et errantium et inerrantium ratos motus cursusque sempiternos animadvertissent; tum in illius astri, quem solem appellamus, conversionibus stabilem illam ac perennem æquabilitatem agnovissent, qua æstates et hiemes efficiuntur, atque terræ, quas incolimus, aut interdum larga luce complentur, aut spatiis nocturnis opacantur: hunc igitur tantum omnium rerum ordinem constantiamque incredibilem cum vidissent, ejusque rei contemplationi a pueris se assuefecissent, ipsa consuetudo spectaculi admirabilitatem elevavit, ut fati potius necessitate, quam mente et consilio regi omnia atque moveri viderentur. Impia sententia, fateor: sed tamen ex ea intelligi potest, quam illustre sit, quamque præclarum divinæ providentiæ documentum, quod ex generis humani historia capi soleat. Etsi enim magna philosophorum dissensio est, cum alii continuum quendam ab hominibus ad omnem perfectionem absoluteque progressum fieri putent, alii vero in gyrum nos compellant, ut semper eodem, unde profecti simus, tamquam confecto cursu, fiat reversio; convenit tamen inter utrosque, ut astrorum,

ut tempestatum, ut earum denique rerum, quæ terra marique gignuntur, sic generis humani, admirabilem quandam esse stabilitatem atque constantiam. Et mihi quidem, etsi in magna opinionis perversitate versari videntur, qui, cum hujus universitatis ornatum et immensam magnitudinem vident, non intelligunt, esse mentem divinam, quæ hæc omnia cum sapientissimo consilio molita ac fabricata sit, tum incredibili vi contineat ac tueatur, tamen in iis rebus, quæ expertes rationis sunt, non omnino nulla fortasse sit erroris excusatio. Quam autem demens, quam excors, quam non homo, sed truncus sit, oportet, qui, cum reliquas res omnes fatali necessitate cohærere ac moveri putet, eandem hominum quoque inter ipsos societatem constrictam teneri et conglutinam, arbitretur. Quid enim aut in corpore aut in animo est, cujus magis nobis conscius simus, quam iudicii, quam arbitrii, quam voluntatis, quam rationis denique, qua nihil præclarius nobis, nihil divinius a Deo immortalis est tributum? Sive ergo aliqua humanitatis meta est, ad quam nondum pervenerimus, sed tamen appropinquemus, sive ea conditione in hoc vitæ curriculo collocati sumus, ut certo et continuo flexu circumagamur in orbem, non profecto, ut calcaribus equi, sic homines necessitate concitantur, neque ut turbines scuticæ, sic illi aliena vi torquentur. Consilio, consilio, inquam, agimus, quicquid agimus,

neque in omni vita aliqua potest esse rerum susceptio, aliqua molitio ac perfectio, quæ, nisi a iudicio atque a voluntate profiscatur, aut laude aut vituperatione, aut humanæ denique actionis nomine digna sit.

Nolite autem credere, Auditores, cum ea sit naturæ humanæ præstantia, ut omnem vim necessitatemque repellat et aspernetur, huic continuo consequens esse, ut tuendæ conservandæque societatis humanæ causa in uno ponenda sit consilio atque arbitrio eorum, qui adsciti in illam et aggregati sint. Non enim eadem hominum constantia est, quæ aut lapidum, qui suo deorsum nutu ac pondere ad lineam semper feruntur, aut pecudum etiam, quibuscum, propter rationis speciem ac simulacrum, propior quædam nobis est, quam cum saxis, cognatio. Insunt in his et appetitiones et declinationes naturales, quarum imperio quasique auctoritati ita addictæ sunt, ut de spatio curriculoque naturæ numquam deflectant. Quid vero homines? Exstat præclara apud Platonem et frequenter usurpata sententia, duas esse animi partes, alteram rationis participem, alteram expertem: in participem rationis positam esse tranquillitatem, id est, placidam quietamque constantiam: in illa altera motus turbidos, cum iræ, tum cupiditatis, contrarios inimicosque rationi. Quarum partium, Auditores, cum perpetua inter se atque gravis contentio sit, alii rationi obtemperant,

atque in omni vitæ actione nihil tam fugiendum esse judicant, quam incontinentiam, quam injustitiam, quam reliquam turbam ac pestem vitiorum. In aliis vero animi perturbationes efferunt se atque exsultant et tamquam seditiosæ cives, occupata rationis arce, fascès arripiunt, atque in omnem furorem perversitatemque se effundunt. Quæ naturarum morumque dissimilitudo eam vim habet, ut in eadem republica, in eadem civitate, intra eosdem sæpe parietes, alii sint graves, temperantes, justi, fortes, bene morati; alii molles, delicati, voluptarii, libidinosi, protervi, avari, iracundi, imperiosi, omnibus denique vitiis inquinati. Quæro, ista bonorum malorumque compactio ecquam tandem cohærentiæ colligationisque firmitatem habere videatur? Neque enim, qui nimia pravitatis vi distenti et oppleti sunt, feras bestias anquirunt, in quas nequitia viri evomant, sed eos ipsos petunt, quibuscum naturâ sunt sociati, quibuscum habitant, vivunt, sal edunt. Quas tu mihi leges narras, quæ jura, quas pœnas? Quæ mihi etiam magno argumento esse videntur, in ipsis generis humani visceribus aliquod malum hæere, quod ejus saluti et incolunitati, quod fortunis nostris, quod liberis, quod conjugibus, quod civitatibus immineat. Quis inter leones legislator? quis prætor? quæ supplicia? quis carnifex? Quibus profecto nec illi egent, neque nos egeremus, si eadem hominum esset, quæ quadrupæ,

dum, in eodem statu permansio aut permanendi voluntas. Neque ita mihi quemquam occurrurum esse arbitror, ut eorum, qui salvum esse genus humanum velint, tantam esse tamque prævalentem vim ac multitudinem dicat, ut horum constantiâ paucorum levitas, horum prudentiâ paucorum audacia, horum denique virtute paucorum improbitas facile vincatur. Quasi vero aut tanta sit, quantam putant, bonorum multitudo atque pravorum paucitas, aut, si ita sit, sine Dei præpotentis numine fieri credibile sit, ut, cum humanæ naturæ, tamquam libræ, utraque lanx vel minimo sæpe momento vergat ac deprimatur, ea, in quam imposita virtus sit, constanter propendeat, altera tollatur. Quid vero? an vos me de petulanti aliquo homine loqui putatis, qui pauperis tugurii ostiolum effringat, aut de furunculo, qui de divitis pomario pruna delibet? Cujusmodi sane commotiunculis si status civitatum atque quies turbari posset, nulla amplius staret atque quiesceret civitas. Sed cum ita hominum inter ipsos constituta sit societas, ut in paucorum, penes quos principatus est, capitibus universarum gentium salus atque fortuna periclitetur: quorum ipsorum salus ac fortuna, quo sunt in altiori dignitatis gradu collocati, eo pluribus individuiæ malevolentiaque telis proposita esse solet: intelligitur, quantam omnium rerum perturbationem, quantamque confusionem, afferre possit vel unius parricidæ mucro. Sunt, qui

Alexandrum, eum, qui Magnus appellatur, veneno confectum putent. Falso quidem illi: sed tamen si ita accidisset, is, qui toxicum miscuisset, non Alexandro magis, quam imperio, Alexandri victoriis parto, interitum attulisset. Quid C. Julium Cæsarem dicam, frequenti senatu, ad Pompeji columnam plagis confossum? quid Henricum Quartum, Galliae regem, secespitâ necatum? quid Gulielmum Primum, eum, qui patriam, qua nihil nobis carius esse debet, ab Hispanorum superbissimo dominatu vindicavit. Quid alios toto terrarum orbe reges Principesque commemorem, quos, cum ipsorum vitâ et incolumitate regnorum rerumque publicarum salus contineri videretur, ab uno et altero de multis sicario interemtos accepimus. Quorsum hæc? ut intelligatur, Auditores, nullam in quovis hominum ordine audacem ac facinosum delitescere, cujus furor ac dementia non in maximarum rerum eversionem aliquando erumpere possit. Neque ii tantum pertimescendi sunt, quibus, si, qui rebus præsent, non satis ipsis probentur, nulla his injusta videatur inferri nex. Sunt imperiti consilarii, sunt perfidî, sunt assentatores, qui suorum improbissimorum sermonum domicilium in Principum auribus collocent. Quibus si mos geratur, non ipsorum tantum, qui auscultent, sed populorum etiam, quos regant, salus desperanda sit. Hæc si laudabiliter regnantes sæpe patiuntur, quid prave regnantes sæ-

pius etiam faciunt? Hic ego si dicendo ab inferis illos excitem ex omni antiquitate tyrannos, quorum nominibus Historia insignem ac sempiternam ignominiam inussit, verear ne alio mentem et cogitationem convertatis. Vidimus, vidimus tetram illam et immanem belluam, quam non diritate cum Agrigentino Phalaride, sed afflatu cum pestis contagione comparabamus. Vidimus hominem: suxerat enim humanæ nutricis lac: id cogitantem, id molientem, ut ipsa humanitas extingueretur. Nostro periculo cognovimus, et, dum spirare poterimus, hærebit in memoria, quantum ad omnia turbanda ac miscenda valeat unius animalis impotens dominatio. Quæ regio non sanguine, quæ facies non lacrymis redundavit? Quæ urbs non lamentatione, quæ domus non gemitu, quod pectus non planctu personuit? Quæ mater, cum pravum, distortum et insignem ad omnem deformitatem partum edidisset, non majori fere, quam matres solent, atque liquidiori voluptate infantem complexa est ejusque vagitus excepit? Firma enim et integra corpora Minotaurus deposcebat, debilia atque vitiosa aspernabatur: et quasi veritus esset, ne quod generis esset humani seminarium, cum nulli hominum ordini parceret, nullam ætatem non vexaret, juventutis etiam carnem sibi immolari, juventutis sanguini consecratam ipsius atrocitati aram conspergi ac madefieri auebat. Non invehor in hunc hominem, Auditores, quoniam ita nunc multorum



et oratorum et poetarum mos sit, sed quoniam, ex quo primum tempore hic terrarum orbis solis luce collustratus est, in omni tyrannorum turba neminem reperio, qui id, quod probandum mihi sumsi, melius declaret. Non ego de istius hominis rebus aut secundis, aut adversis loquor: ne de illo quidem die loquor, quo die in navim coniecta est ista omnium malorum saburra, quae cunctam pæne terram depresserat. In qua rerum atque fortunæ mutatione cum divini numinis vis atque potentia admirabiliter se patefecerit, tamen aliena esset ab hujus orationis argumento ejus rei tractatio. Hoc unum in præsentia agimus, ut flagitiosissimi nequissimique hominis exemplo doceamus, quemadmodum ab uno gubernatore imperito navis everti possit, sic a paucis sceleratis, nefariis, sævis, sanguinariis, si forte imperia capessiverint, impediri posse, quominus, ut ceterorum animantium, sic humani quoque generis, continuus sit et stabilis atque constans cursus. Si igitur, quæ vitâ prædita sunt, iis infestissima inimica mors est, quem alium proferre in medium aut potui aut debui, quam capitalem istum generis humani hostem, qui cum ipsa morte mortalium eadem eo pacto partitus fuisse videtur, ut hæc potissimum ætate confectos, tamquam maturas et coctas et graviditate nutantes aristas, ipsa vero herbescentem juventutis viriditatem, atque pulcherrimum florem demeteret?

Educamus vero, si placet, ex singularum gentium augustiis orationem, eamque magis etiam ad universum hominum genus traducamus. Quasi vero consilii sit res, et non necesse nobis sit statuere, si singulae partes aut laborent, aut perpetuo quodam perturbationis periculo sint, rei universae aut nullam esse posse, aut non certam exploratamque integritatem. Si enim siccatis atque pavimento stratis maribus, disiectis et complanatis Alpibus ac Pyrenaeis montibus, ceterisque regionum terminis, quos aut natura aut hominum voluntas constituit, revulsis atque sublatis, universus terrarum orbis una quaedam fieret atque communis hominum civitas, eidem imperio parens iisdemque temperata legibus, necessario esset eventurum, ut, quae nunc singulis mala nationibus impendeant, ea cunctae essent reipublicae humanae pertimescenda. Si autem ne civitatis quidem atque legum omniumque institutorum communio fantam habitura esset tamque firmam salutis stabilitatem, ut non improborum insidiis et machinationibus, seditiosorum vi atque audacia, eorum, qui regnarent, indomitam et effrenatam impotentiam, vehementer confundi hominum vita atque conturbari posset; ista, ex qua genus humanum constat, plurimarum gentium varietas, ista legum atque religionum differentia, ista dissimilitudo morum atque in omni vitae actione discrepantia, ista denique rerum pugnantium atque contrariarum infinita

colluvio, quid tandem constantiae firmamentum, quid praesidium incolumitatis, quas vires, quae arma habere videatur, quibus hominum societas a perniciè atque ab interitu defendatur? Nam quod Jus Gentium dicunt, ejus quae vis sit atque sanctitas, illi doceant, qui haec tractant: ipsae quidem gentes, si Historiae vocem exaudire velint, salutem suam minus in hoc jure, quam in mœnibus atque in castellis, sitam esse intelligunt. Quamquam haec ipsae munitiones atque propugnaculorum exstruktionen numquid aliud declarare vobis videntur, quam non tutum satis esse a se ipso atque salvum genus humanum? Si enim essent, qui sub terra semper habitavissent, nec unquam exissent, deinde aliquo tempore, patefactis terrae faucibus, ex illis abditis sedibus evadere in haec loca, quae nos incolimus, atque exire potuissent: quum plurimas regiones atque urbes non jugis modo et aggeribus contra maris atque amnium vim, sed muris etiam et operibus adversus hominum incursiones, septas atque circumdatas vidissent; quumque intellexissent, quanto cum studio ubivis gentium milites alerentur, praesidia collocarentur, tormenta conficerentur, armamentaria exstruerentur, omnia denique ita curarentur, quasi singulis diebus pro aris et focis et vitâ esset certandum; haec quum viderent, profecto magnam hanc generis humani civitatem et quasi domum et in perniciosissima seditione ac discordia esse, et bre-

vi intestinis odiis atque dissidiis funditus eversum iri, arbitrarentur. Quid virium, quibus singulae nationes valent, atque bellicae virtutis inaequalitatem dicam? Non enim, ut decuriatus et centuriatus exercitus, sic hominum genus aequabili est partitione distributum, ut, quantum alia gens ad inferendum malum, tantum alia ad repellendum valeat. Sunt nationes tanto tamque praecipuo robore ac pondere, ut, si vel paululum moverint se, vicini atque finitimi populi, tamquam culices, conterantur; aliarum rursus tanta fortitudo est, tamque excellens eorum, qui illis praesunt, rei militaris peritia, ut maximas hostium copias exigua saepenumero manu caesas, fusas, fugatas, validissima etiam opulentissimaque imperia oppressa atque direpta acciperimus. Haec in bello: quid in pace? Socrates cum aliquando rogaretur, cujatem se esse diceret, mundanum inquit: totius enim mundi se incolam et civem arbitrabatur. Cujus vocem quidam nostrorum hominum admirati, cum ceteris in rebus multum Socratis dissimiles sint, in hoc tamen consentiunt, quod iisdem, quibus orbem terrarum, finibus patriam terminari volunt. Qui si suspicarentur, sibi aliquando in exilium proficiscendum fore, non inepete praeciperent: nusquam enim patriam carerent, nisi si infra mortuos amandarentur. Si autem patrium quisque solum, in quo ortus et procreatus est, tanta caritate complecti solet, ut hoc unum om-

nes caritates complecti, et vel Ithacæ asperrima saxa, ut de Ulysse accepimus, immortalitati anteponenda censeat, ea ipsa omnis benevolentiae nostrae omniumque studiorum in unam terræ partem atque in singularem gentem effusio societatem generis humani communitatemque labefactat. Non quo fieri, Auditores, ita necessario debeat, sed quia fieri certe sæpissime solet, ut homines, quanto in cives suos amore, tanto in externos odio ferantur. Quod si odii vocabulum cuiquam in hac causa paulo durius poni videatur, rivalitas, per me licet, et obtretractatio ponatur, qua nulla sane natio vacat. Quid? quod gentes quasdam ita interdum invidiosas videmus, ut, si utiliter aliquid ab ipsis ad hominum vitam inventum sit, tanto studio tegant atque occultent, quasi magnum scelus conceperint. Serpit foras atque ad ceterarum gentium notitiam emanat? omnes populares apud extraneos jactant se, et, quemadmodum Homericus Thersites, aliquam sibi laudis partem vindicant. Exorta est aliqua de clarorum virorum genere et incunabulis dubitatio? non acriori studio de familia herciscunda litigari potest, quam et civitates et nationes de tantæ gloriæ hereditate ac possessione contendunt. Quasi vero, si aut Colophone, aut Smyrnæ, aut in alia quavis Græciæ civitate, natus est poëtarum princeps, civis potius ejus urbis fuerit, quæ in cunis vagientem, quam Deus orbis terrarum, qui oracula fundentem, audierit.

Delubrum dedicare Homero Smyrnæi potuerunt, Homerum illi non magis, quam Heliopolitæ solem, eripere generi humano ac sibi vindicare potuerunt. Illuc revertor. Discordiâ dissipamur; turbulenti sumus in tranquillitate; bella gerimus in pace. Suas singulæ nationes utilitates, sua commoda, suas rationes sequuntur. Omnes integræ gentes esse, quam generis humani partes et quasi membra malunt. Nec studiis tantum ac voluntatibus, sed aëre etiam et cœlo divellimur.

Potestne cuiquam obscurum dubiumve videri, quid sit, quod in hac causa tam diu mea versata sit oratio? Si enim in omni rerum administratione mens atque consilium tanto dilucidius cernitur, quanto earum moderatio plures habet, quantoque majores difficultates, quo tandem ampliori et illustriori theatro vis atque sapientia divina spectari possit, quam hoc generis humani domicilio, cujus habitatores dissident inter sese atque perpetuo discordant? Navim si videam, velis passis et secundissimo vectam vento, incolumem appelli, non sine gubernatoris arte et operâ fieri arbitrer. Magis etiam moderatoris peritiam agnoscam, si reflatu impediatur navigatio, ut obliquandus cursus sit, atque fluctibus cedendum. Illud autem si forte accadat, quod Ulyssi et Aeneæ accidisse, memoriæ proditum est, ut venti, agmine facto, confligant, utque

*Una Eurusque Notusque ruant creberque procellis  
Africus, et vastos volvant ad litora fluctus:*

si tumultuentur nautæ, si alii antennas subducant, alii demittant, alii malos erectos velint, alii rudentes ceterosque funes præcidant, alii per foros cursandum, alii sentinam exhauriendam putent: tum ego, si in tanta jactatione cursum teneri videam, cum qui in puppi sedeat et clavum tractet, non Palinurum aliquem, cui somnus obrepere possit, sed Deum esse censeam, cujus voluntati et arbitrio ipsi venti tempestatesque obsecudent.

Itaque ceterarum rerum et animatarum et inanimatarum ea natura est, ut facile præbeant se tractandas atque nullo negotio duci, regi, flecti se patiantur; hominum vero, quod et in omnibus rebus *suo ipsi iudicio voluntateque* utuntur, et in *maxima studiorum, sententiarum, morum, ingeniorum varietate sunt atque in summa discrepantia*, illustrior quædam est et, ut ita dixerim, artificiosior gubernatio. Haud vero scio, an palmarium sit, quod nunc sum dicturus. Quandoquidem omnis natura est conservatrix sui, omneque animal bonum appetit, malum aspernatur, ita sapientissimo consilio fabricatus omnia est et architectatus Deus, ut neque ullum animantium genus nudum et inerme esset, neque in universa rerum natura quicquam reperiretur, quod viribus ad tuendum se et in quam optimo statu cus-

todiendum careret. In hoc igitur robore, in hac radicum et stirpium firmitate, in hac tenacitate clavicularum, in his armis, in cornibus, in unguibus, in radiis, in aculeis, in velocitate, in pernitate, omnium eorum, quæ terra gignit, quæ moventur, quæ spirant, tam necessario posita est, tamque constanter, salus et incolumitas, ut si præsiis illis, quibus textit ipsa atque munivit natura, aliquo casu orbentur, fieri non possit, quin interitus sequatur. Et quoniam hominum quoque animis hoc insitum atque innatum est, ut nosmetipsi complectamur amore, et quam beatissima conditione esse cupiamus, humano generi eadem, quæ ceteris animalibus, scripta est atque sancita lex, ut, si salvum esse velit, omnes animi corporisque nervos contendant. Sed qui historiam tractant, præter virium amissionem aut debilitationem, aliam quoque esse nationibus, eamque et constantem et hominum propriam, pereundi causam, docent. Cum enim ea conditione sati atque in lucem editi simus, ut aliqua nobis cum omnium rerum Parente similitudo affinitasque intercederet, una autem virtus sit, quæ hanc naturæ nostræ præstantiam dignitatemque optime declaret; qui in cognoscenda generis humani historia operam atque laborem collocant, tanti interesse dicunt, ut nobilissimam illam propinquitatem pie et caste colamus, ut nullam civitatem, nullam rempublicam, nullum imperium, nisi virtutis



fulciatur, stare posse contendant. Quorum si vera sit sententia: est autem verissima: animadvertite singularem Dei vim rerumque humanarum procurationem. Si enim de illis tantum vitiis loquerentur, quæ, insita quadam peste, corpus animumque virilem effeminarent, et tamquam venena, omnes vires enervarent; si reges inducerent socordes, voluptarios, mulierosos, asotos, qui dies noctesque in mensam vomerent; si milites ignavos, imbelles, præsidia deserentes, calamistratos, unguentis perfusos; si judicia corrupta dicerent, si æraria expilata, si gladiatorum omniumque flagitiorum impunitatem; talibus igitur rebus si labefactari imperia atque funditus everti docerent, non recusarem, quin illorum, ut parietis exesi et caduci, naturalem quandam esse, fateremur, nec extrinsecus apportatam ruinam. Si autem nulla cum exceptione loquuntur, neque bipertitum esse vitiorum genus volunt, ut alia innoxia sint, alia pernicioosa; universam vero illam turbam, tamquam conjuratam civium sceleratorum manum, contra gentium, quæ eam admiserint, salutem conspirare, iisque certissimum aliquando interitum afferre, dicunt; non illi tam verbis docere quam, patefactis cœli portis, ostendere videntur, esse aliquam vim ac mentem divinam, quæ justissimis legibus omnia regat ac moderetur. Quid enim? si ignavia, si intemperantia, si stultitia, si, quibus vitiis animi corporisque vires franguntur,

iisdem maxima etiam florentissimaque imperia occidunt; quid est, quod injustitiam, quod perfidiam, quod audaciam, quod dolum, quod alia etiam vitia, quibus non tantum imminui, sed sæpe, tamquam cotibus, acui nationum vires et augeri solent, parem atque eandem pernicipi necessitatem afferre arbitremur? Murum si aries percusserit, raptum per injuriam latere ac cemento constructum, quid in ipso muro inest cur citius corruat, quam si auspicatissimis sit omnibus exædificatus? Aut quis milites putet minus fortiter esse dimicatuos, si injustissimæ prædæ rapinarumque spe ducantur, quam si justum iis de ærario atque ordinarium stipendium persolvatur? Quis denique in historia tam tiro ac rudis, tam peregrinus atque hospes, qui summam nequitiam cum summa sæpe fortitudine conjunctam, summis opibus ac viribus instructam, iisque rebus omnibus armatam esse, nesciat, quibus qui valent, iis nil pertimescendum esse putatur? Quæro igitur, in pari, atque sæpe etiam in majori robore ac firmitate, quid causæ esse dicamus, cur minus, quam virtus, tuta sit improbitas? aut, cum sæpe accidat, ut vitio virtus vincatur, cur adeo non stabilis sit atque perpetuus victoriæ fructus, ut victa aliquando necessario vincat, vincenti sit intereundum? Alii quid sentiant, ipsi viderint: mihi quidem numquam eripi illam opinionem atque ex animo evelli patiar, esse Deum aliquem, Deum, inquam, qui scelere inter-

neciyum bellum indixerit, virtutis causam, dignitatem, splendorem, tueatur. Vos de antiquitate testor, Marathonia et Salaminia tropæa, vos majorum memoriâ Neoporti colles. Vos appello ripæ Borystheniæ, vos Russiæ solitudines, tetrīs tectæ cadaveribus improbissimorum hominum, quos non hostium vis et fortitudo, sed nives et pruinae prostaverunt, ut ipsæ tempestates, jussu divino, virtutis et innocentiae patrociniū suscepisse videntur. ô Optimarum rerum historia magistra! te docente, discunt docti, te loquente, ipsa philosophia obmutescit. Tu non solum quid in terrâ, sed etiam quid in cœlo agatur, declaras. Tuam vocem clarissimam qui exaudit, ipsum Deum audit loquentem: te qui colit et complectitur, cœlestia illi consilia patent: te denique qui laudat et commendat, tuis sacris qui alios initiat, hunc administrum appellamus et mystagogum et sacerdotem Providentiæ Divinæ.

Ego vero, Auditores, quamquam minime confectus orationis cursus est, et ne terram quidem video, tamen satietati vestræ medebor atque reprimam me. Sed etiamsi tota jam dies in dicendo esset consumpta, non tamen committerem, ut aliquam officii partem prætermitti a me aut deseri putaretis. Quid autem potius, quid antiquius habere possim, quam ut Vos compellem, illustrissimi hujus Academiæ Curatores, quorum consilio et auctoritate ab illa

vitæ statione, in qua adhuc collocatus fui, ad has literas sum traductus? Ego quoties mecum reputo, qua optima ratione Vestram mei expectationem sustinere tuerique potuero, toties conturbat me magni illius Viri cogitatio, in cuius locum me succedere voluistis. Utinam ut vivit, ita vigeret etiam Wytttenbachius, nec illud nobis spectaculum esset perferendum, non hominibus tantum, sed ipsis hujus templi parietibus luctuosum, extinguere literarum lumen, vivente Wytttenbachio. Quamquam quidni potius istam vitam mortem esse putemus, ei quidem, qui ita semper judicaverit, non suaviter tantum, sed omnino ne vivi quidem, sine literis posse. Me autem, qui tanto Viro suffectus sum, illud recreat, Perillustres Curatores, atque confirmat, quod, si quem anquisivissetis, qui doctrinæ magnitudine Wytttenbachium exæquaret, vix quemquam reperissetis. Si autem hujus Academiæ interesse judicavistis, Literas Humaniores ab eorum aliquo tradi ac doceri, qui Wytttenbachii disciplinâ ac præceptis imbuti et informati essent, in eorum numero me esse, præ me fero. Sin denique aliquid esse existimavistis, hanc literarum cathedram, Wytttenbachii virtute illustratam, tali doctore deferri, qui excellentissimi Viri præstantiam suspitione aliqua et conjecturâ assequi posset, ego certe ejus admiratione nemini me cedere profiteor. Quod reliquum est, Viri Amplissimi, hanc ætatem, has vires, omnia

studia mea, omnesque labores ita in has literas, quarum magistrum me esse voluistis, conferam atque impendam, ut, si spem Vestram minus explevero, voluntatem certe meam atque industriam, me Vobis probaturum esse confidam.

Vos autem, clarissimi Collegæ, cum jam per decem annos plurimas mihi maximasque singularis vestræ erga me benivolentiæ significationes dederitis, nunc et oro Vos, ut me Vobis commendatum habere pergatis, et magna me spes tenet, ita fore, ut peto. Ipsa enim me literarum disciplina Vobis conciliare debet, quarum quæ vis sit, quod pondus, quæ auctoritas, si quis nescire possit, Vos certe minime ignoratis, qui solem e mundo tolli judicatis, si ex illis disciplinis, in quibus habitatis, literæ tollantur. Vos saltem, clarissimi Theologiæ Professores, quamquam non amplius ejusdem artis societate ac professione tenemur, tamen, pro communi nostro literarum amore eandem, qua semper fuistis, erga me mentem retenturos esse, certissime scio, atque ita existimatuos, qui nulli labori parcat, quo adolescentes, Theologiæ studiosos, Vobis quam simillimos reddat, iisque expoliat literis, quarum scientiâ laudis Vestræ permagna pars continetur, eum et Vestrum esse, nec de disciplina Vestra mediocriter mereri.

Ego quidem, Jane Baki, Vir Clarissime, muneris socium, qui Te mihi gratior optatiorque esset, neminem

mihi, ne votis quidem conceptis, obtingere potuisse arbitror. Sive enim ætas agitur; sumus æquales. Sive disciplinæ societas; ab eadem sumus schola profecti. Sive morum naturarumque similitudo quæritur; et Tu homo lenis es ac facilis, nec ego admodum asper et pugnax. Neque fieri posse puto, ut unquam rixæ aliquid aut similtatis inter nos exoriatur. Si autem fiet aliquando, sive meâ, sive Tuâ culpâ, placabit nos mitis sapientia Lælii. Quidni enim hoc nomine Te appellemus, Hermanne Tolli, suavissime senex, optime virorum. Si in quo alio, in Te certe apparet, quid valeant literæ ad emolliendos mores. Tu enim cum ea et ætate sis et doctrinæ præstantia, ut omnium consensu magnam Tibi severitatem sumere possis, auctoritati illi, qui senectutis apex est, tantam comitatem facilitatemque adpersisti, ut dubium sit, majoremne Tibi gravitatem ætas, an humanitatem literæ attulerint. Et nos igitur Te, ut parentem, colemus, et Tu in nostra caritate acquiesces, et ita nobis semper persuadebimus, ejus, quam profitemur, disciplinæ nullam esse majorem, nullamque illustriorem laudem, quam quæ in Tua Tuique simillimorum sapientiâ atque eximiâ virtute cernatur. Nam quod pro Te etiam spondeo, Baki, Vir amicissime, facio id quidem confidenter, cum quanti veteranum hunc literarum nostrarum cultorem facias, et mihi persæpe significaveris, et nuper etiam elegantissima oratione Tuâ palam declaraveris. Neque

Tu tam literarum esses amans, nisi idem earum antistites amares, neque fieri facile possit, ut in quemquam tanta, quantam Tu consecutus es, doctrinae copia atque ubertas cadat, nisi quis, ut Miltiadis tropaea Themistocles, sic clarissimorum virorum exempla dies noctesque intueatur. Me quidem ita Tibi commendatum esse cupio, ut fratri fratrem, atque per ipsas has literas, quarum commune nobis studium est, oro Te et obtestor, Spartam, quam sortiti sumus, ita ornemus, ut homines non munere tantum et statione, sed animo etiam ac voluntate, conjunctos nos esse copulatosque intelligant.

Vos autem nolite putare, optimi Adolescentes, temere ac sine causa lege esse sancitum, ut, quodcumque aliquando vitae genus sitis secuturi, quemadmodum carmina a Jove poetae, sic Vos studiorum vestrorum curriculum a literis ordiamini. Qua lege, credite mihi, praeclare vobis consultum est. Quamquam quid ego de legibus, in hac praesertim sanctissima Musarum aede, cujus ipsum pavementum loqueretur, si omnes leges, omnesque oratores silerent? in hoc clarissimorum Virorum consessu, qui non legum auctoritate, sed suo ipsi judicio eas, quibus singuli excellunt, disciplinas literarum rore rigarunt et adhuc quotidie perfundunt? Horum exemplis vos moveri, horum laudibus ad laborem et laudem vos excitari, horum auctoritatem legis vim apud vos habere, oportet. Quibuscumque enim orti

estis majoribus, cunctus ille. Senatus vos contemnet, si vos literas contemnetis. Quid statis, Batavi juvenes, flos Hollandiæ! Hæc studia urgete, si viri esse vultis, si suaviter vivere, si utiliter peregrinari, si cum voluptate rusticari. Ego quidem si non indignus a vobis judicer, qui in laboris vestri industriæque societatem adsciscar, pro certo polliceor hoc vobis atque confirmo, quicquid in me fuerit virium atque nervorum, id omne eo me esse collaturum, ut vestris commodis et utilitatibus inserviam.

DIXI.

---



## ANNOTATIO.

---

- Pag. 2. *Discesseris. Wyttēb. Præfat. ad Select. Histor.*
- 6. *Traducendos putat. Cic. de Orat. Lib. III. Cap. 30.*
- 7. *Seponeret. Cicero l. c. Cap. 33.*
- — *Versati. Cic. l. c. Cap. 32.*
- 8. *Delectet. Conf. Lucian. De conscrib. Histor. Opp. Tom. II. p. 19, 57 sqq.*
- 9. *Quid sit consecutum. Vid. J. C. Kiesewetter, Wichtigste Wahrheiten der Krit. Philosophie. Tom. I. p. 107.*
- — *Fundamenti. Polyb. Lib. III. Cap. 32. ἀκμὴν γὰρ φασὶν ἀναγκασιότατα μέρη τῆς ἱστορίας εἶναι, τὰτ' ἐπιγινόμενα τοῖς ἔργοις, καὶ τὰ παρεπόμενα, καὶ μάλιστα τὰ περὶ τὰς αἰτίας.*
- — *Polybii — Sententiam. Polyb. Lib. III. Cap. 31. Ἱστορίας γὰρ εἰάν ἀφῆλθῃ τις τὸ διὰ τί, καὶ πῶς, καὶ τίνος χάριν ἐπράχθη, καὶ τὸ πρᾶχθὲν πότῃρα ἕλορον ἴσχε τὸ τέλος, τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς, ἀγώνισμα μὲν, μάθημα δὲ οὐ γίνεται καὶ παραυτίκα μὲν τέρπει, πρὸς δὲ μέλλον οὐδὲν ἀφελῆ τὸ παράπαν.*
- 10. *Vita atque natura. Cic. de Orat. Lib. II. Cap. 15.*
- 11. *Polybius habeat. Wyttēb. Select. Histor. Præfat. p. XVIII. Conf. Ejusdem Vita Ruhnk. p. 101 sq.*
- 14. *Partem contineri. J. M. Schroeckh, Christl. Kirchengesch. Tom. I. p. 269. sqq.*

estis majoribus, cunctus ille. Senatus vos contemnet, si vos literas contemnetis. Quid statis, Batavi juvenes, flos Hollandiæ! Hæc studia urgete, si viri esse vultis, si suaviter vivere, si utiliter peregrinari, si cum voluptate rusticari. Ego quidem si non indignus a vobis judicer, qui in laboris vestri industriæque societatem adsciscar, pro certo polliceor hoc vobis atque confirmo, quicquid in me fuerit virium atque nervorum, id omne eo me esse collaturum, ut vestris commodis et utilitatibus inserviam.

DIXI.

---

## ANNOTATIO.

---


- Pag. 2. *Discesseris. Wyttenb. Præfat. ad Select. Histor.*
- 6. *Traducendos putat. Cic. de Orat. Lib. III. Cap. 30.*
- 7. *Seponeret. Cicero l. c. Cap. 33.*
- — *Versati. Cic. l. c. Cap. 32.*
- 8. *Delectet. Conf. Lucian. De conscrib. Histor. Opp. Tom. II. p. 19, 57 sqq.*
- 9. *Quid sit consecutum. Vid. J. C. Kieseewetter, Wichtigste Wahrheiten der Krit. Philosophie. Tom. I. p. 107.*
- — *Fundamenti. Polyb. Lib. III. Cap. 32. ἀρχὴν γὰρ φασὶν ἀναγκασιότατα μέρη τῆς ἱστορίας εἶναι, τὰτ' ἐπιγινόμενα τοῖς ἔργοις, καὶ τὰ παρεπόμενα, καὶ μάλιστα τὰ περὶ τὰς αἰτίας.*
- — *Polybii — Sententiam. Polyb. Lib. III. Cap. 31. Ἱστορίας γὰρ εἰὼν ἀφέλη τις τὸ διὰ τί, καὶ πῶς, καὶ τίνος χάριν ἐπράχθη, καὶ τὸ πρῶτον πότῃρα ἕλογοι ἴσχει τὸ τέλος, τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς, ἀγώνισμα μὲν, μάθημα δὲ οὐ γίνεται καὶ παραυτίκα μὲν τέρπει, πρὸς δὲ μέλλον οὐδὲν ἀφελῆ τὸ παράπαν.*
- 10. *Vita atque natura. Cic. de Orat. Lib. II. Cap. 15.*
- 11. *Polybius habeat. Wyttenb. Select. Histor. Præfat. p. XVIII. Conf. Ejusdem Vita Ruhnk. p. 101 sq.*
- 14. *Partem contineri. J. M. Schroeckh, Christl. Kirchengesch. Tom. I. p. 269. sqq.*


- Pag. 16. *Prætermittat. Conf. Luciani Opp. Tom. II. p. 9, 49 sqq.*
- — *Obtendant. Egenhardi Vita Caroli M. p. 41. ed. Schmink.*
- 25. *Non cadant. Lucian. Tom. II. p. 65.*
- 78. *Conf. Ernesti Dedicat. Ciceronis, D. Ruhnkenii, Orat. de Doctore Umbratico, in Opusc. p. 129. et D. G. J. Hubler, Der Verkannte Werth der classischen Schriftsteller p. 28. sqq.*




VITIA TYPOGRAPHICA.


Præfat. p. VIII. lin. 14. *firmus*, lege, *firmius*.  
p. 100. — 26. sanguini, — sanguine.














Na 152

s

80


ULB Halle  
008 870 365

3



M





E. A. BORGERI  
DISPUTATIO,  
DE  
HISTORIA PRAGMATICA.

EDITIO ALTERA.

ACCEDIT

O R

HISTORIÆ DOCTO

A

HAG

VIDUAM J. A

